



Misc. 6^o Q.

Kat. Misc. I, 63.



26.
8 36.
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
PROPAGATIONE ET GRADIBVS
PECCATI ORIGINALIS

QVAM
PRAESIDE
VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN

S. S. THEOL. DOCT. ET PROFESS. PVBL. ORDIN.
NEC NON SEMINARIJ THEOLOG. DIRECTORE
PATRONO AC PRAECEPTORE PIE COLENDO
D. XXIII. APRILIS A. C. MDCCXXXV.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
IOANNES FRIDERICVS LITZMANN
NEO-RVPPINENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE, 1743.
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

DECRETUM THEOLOGICUM
DE
PROPAGATIONE ET GRADIBUS
PACATA ORIGINALIS

BRASILE
VINO SVINNE REVERENDO POKTILLINISMO
AITE DOCTRINO
SIGISM VACCINO BAVINGARTEN
3. THEIL DOCHT PROPOS. VIII. ORDIN.

PATRONS DE PRAKTIKOR MR. COLINDO
IN DEN WIRTSCHAFTS- & WIRTSCHAFTS-
WIRTSCHAFTS-
WIRTSCHAFTS-
WIRTSCHAFTS-

JOHANNES FRIEDRICH'S LITZMANN
WIRTSCHAFTS-
WIRTSCHAFTS-
WIRTSCHAFTS-
WIRTSCHAFTS-





SECTIO I.
DE PECCATO OR. IN GENERE.

§. I.

Vti id, quod statum entis perfectiorem reddit, sensu *Mali* notio.
generaliori *Bonum* est: ita illud, quod statum entis
cuiusdam efficit imperfectiorem, *Malum* vocamus.

Id, ex quo cognoscibile est, cur aliquid sit? dicitur
Ratio eiusdem; *Malum* ergo, qua tale, est ratio imperfectio-
num, enti inhaerentium. Omnis imperfectio est negatio; con-
sistit enim in non consensu vel dissensu in varietate; vnde, si
technice loqui maluerimus, oritur imperfectio, priuatiue &
contrarie sic dicta; *malum* ergo est ratio negationis. Iam,
quum realitates, qua tales, non consentiant, nisi ad realitates,
indeque *bona* sint, quoniam praestant perfectiones; *malum* non
est realitas, sed negatio, quae illi opponitur. Habemus ergo
hoc modo aliam, quam adducere volebamus, *mali* definitio-
nem; secundum quam in genere illud in defectu realitatis po-
nitur.

A

Vindicauit

Vindicauit sibi vltimam mali definitionem celeb. BILFINGERVS in tractatu de origine & permissione mali §. 242. Dubium quidem primo intuitu subnasci posset contra illam ex diuisione imperfectionis in *privatiue* et *contrarie* sic dictam, et illam quidem, non aequè vero hanc, sub definitione hac contentam esse; sed omnis facile dissolui poterit dubitatio, si cogitauerimus, omnem quoque imperfectionem contrarie dictam reduci posse ad priorem imperfectionis speciem, *privatiue* nimirum dictam. Quamuis ergo plerumque illae imperfectiones contrarie sic dictae, concipiuntur, vt realitates quaedam illis contrariae; illas tamen, si recta animi lance perpenderit, realitatum nomine plane venire non posse inuenies, sed reuera esse defectus realitatum.

Malum metaphys. & phys.

§. II. Id, quod sub mali notione venire solet, duplex in genere est: Dantur enim defectus realitatis, quibus positus, ponuntur imperfectiones: vel *absolute* necessariae, vel *in se contingentes*. Prior vocatur *malum metaphysicum*; alter vero *physicum late dictum*. Prius malum oppositum est bonis metaphysicis: vti ergo haec omnibus necessario conueniunt creaturis; ita et mala metaphysica de omnibus rebus creatis sunt pronuntianda et plane non dependent ab entibus, quibus inhaerent, neque remoueri ab iisdem possunt. Alterum, *physicum* nimirum, duplex rursus est. Vel enim a libertate entium propius non dependet, vel ab eadem dependet propius. Illud vocatur *malum physicum striete dictum*, et de substantiarum speciatim intelligentium, sentientium saltem, incommodis accipitur, & malum poenae huc quoque refertur.

Denominatio malorum metaphysicorum originem debet LEIBNITIO, quamuis, ipsum conceptum malorum absolute necessariorum tam recentis originis esse, eumque veteribus philosophis plane ignotum fuisse, nemo credat. Malum physicum consistit in perpeffione, vt adeo confectarium saepe mali moralis dici possit. Adhibentur aliquando mala physica ab ente sapientissimo, ad obtinendum per eadem aliquod bonum. Quamuis enim summum Numen imperfectam, vel miseram, nullam velit esse creaturam, adeoque & huius mali praesentiam abominari atque improbare teneatur; hoc tamen nequaquam cum perfectionibus eius pugnare mihi videtur, vt vrgeat homines iisdem malis ad evitanda in posterum peccata, & mala adeo moralia iisdem impediatur, physicis multo grauiora, quippe & quorum respectu bona sunt mala physica.

§. III.

caput §. III. Mali physici notam adferuimus §. II. quod a libertate entis non pendeat propius. Sumas alteram propositionem, ibi adstructam, disiunctiuam, partem; quod nimirum a libertate entis propius pendeat, et adest tertia mali species; *malum* nimirum, ut vocant, *morale*. Quum *morale* in genere supponat, rationem vides, cur malo huic nomen impositum sit mali moralis. Quumque porro libertas ad facultates animae superiores referenda sit, brutis denegatas, omnisque ideo *moralitas*, id est, facultas pro libertate sua se determinandi, remota sit ab iisdem, spiritibusque tantum intelligentibus adiudicata: facile inde adparet, nec bruta, sed solas substantias intelligentes, id est, spiritus, esse posse subiectum, cui inhaereat, vel quod adfici possit malo hoc morali.

Accipitur speciatim malum hoc morale de actionibus entium vitiosis, quo et malum culpae adeo pertinet. Grauisimum hoc est omnium malorum, ob conseruaria, quae ex eodem deriuantur et promanant, tristissima. Foecunda mater est malorum physicorum, & haec ex illo saepissime solent oriri; eo quod culpam excipere solet poena §. II. Auctor mali moralis Deus nunquam esse potest; neque ergo obiectum beneplaciti diuini, voluntatisque Dei adprobantis fieri illud potest. Adferendum quidem hoc est aliquo modo de malis physicis, eo quod media saepe sint, ad obtinendum aliquod bonum §. II. sed toto coelo hac in re differunt inter se malum physicum et morale, quum hoc cum attributis Dei pugnet moralibus.

§. IV. *Lex* proprie dicta moralis, intellectui ac rationi Peccati notio correlata est regula, cui actiones liberae conformandae sunt, seu norma actionum liberarum. Quumque ius leges ferendi nemini concedi, neque exerceri queat a quoquam, nisi cui ius competit actiones aliorum liberae determinandi, & sufficientia legibus suis motiua adiudicandi, nisi irritas esse velis leges; id est, imperante, a cuius voluntate dependent actiones illorum liberae, quas legibus circumseribit: oritur inde notio legum, seu strictissimo accepta, secundum quam in decretis imperantis, quibus determinat actiones subditorum liberae, consistunt,

quarum ergo obiectum remotius omnes qualitates statusque conditiones sunt, ex praecedentibus actionibus liberis orrae. Finis ergo legum est, vt iisdem conformentur actiones liberae: hoc si intermittitur; oritur inde defectus conuenientiae cum lege, id est, *Peccatum*; quae quidem definitio non vsui solum loquendi accommodata est, sed ipsa eam sequitur sacra scriptura: vnde et IOANNES *ep. I. Cap. 3. v. 4.* peccatum *ἀνομία* esse adfirmat. Omnis ergo peccati cognitio proficiscitur ex lege ROM. III, 20. et, nisi supposita legis cognitione, imputatio transgressionis eiusdem locum inuenire non potest ROM. V, 13; neque minus manifestum est, tot peccatorum species dari, quot legum species numerantur; & peccata praecipue omissionis & commissionis, quibus vel praecepta diuina transfiliuntur, vel interdictione diuina violantur, inde intelliguntur. Omnis transgressio legis infert obligationem ad poenam; cum omni ergo peccato coniuncta est obligatio ad poenam: poena est malum et praesertim physicum §. II; ex peccato ergo oritur imperfectio, vel, peccatum est ratio imperfectionum, id est, *malum* §. I. et quum a libertate entium propius dependeat, *morale* §. III. Peccatum praesupponit legem, eiusdemque cognitionem; leges necessario rquirunt libertatem; extenduntur enim ad actiones tantum liberas, et ex iis enatas qualitates, eo quod reliquae ita determinari nequeant: peccatum ergo cadit tantum in substantias libertate praeditas, neque de brutis, quod peccare queant, adfirmari potest. Certi etiam hac via de sede peccati fieri possemus.

Quoniam motiua, legibus adiecta, eo foecundiora, vsusque sint vniuersalioris, si consistant in poenis, a transgressoribus legum dandis: notio imperantis in conceptu legum, sensu strictissimo sumtarum, necessaria esse videtur; vnde & pleraeque leges diuinae in sacro codice ita promulgatae sunt, vt annexae iisdem simul sint poenae, si ab iisdem homines recesserint; cuius exemplum habes EX. XX, 5. 7. Vox *ἀνομία*, quae perfectam, si vsuum biblicum spectas, peccati exhibet definitionem, vi originis notat legis vel absentiam, vel illegalitatem, quae a lege deuiat, eidemque contrariatur. Sensu priori in toto Nouo Testamento

flamento non legitur; sensu vero posteriori, ubi notat absentiam conformitatis cum lege, praeter locum allegatum, saepius adhuc in Nouo Testamento legitur; imo et in versione V. T. graeca LXX senum non raris huius vocis vsus est. Quum et ipsa vox ebraica פְּנוּמָה nihil aliud indicet, quam aberrationem, uti in genere a scopo; ita et in specie hominis a lege. Continet quidem haec denominatio, no- straque adeo definitio primo intuitu partem peccati tantum *priuatiuam*, licet *constitutiuam* omnium peccatorum; sed si adprobauerimus viam §. I. nota indicatam, *ἀντινομίαν* seu contrarietatem legis ad partem il- lam peccati priuatiuam, seu *ἀνομιαν*, facile reuocabis; quum & per ipsam animae essentiam *ἀνομία* non sit sine *ἀντινομία*.

§. V. Et possunt, et solent in varias, pro diuersis respec- Diuisio pecca-
ti.
tibus, species diuidi peccata; generaliori tamen peccatorum nota, quae est discessio a lege, seruata. Maxime notabilis illa est, ubi omnis discessio a legibus duplex adsumitur, *habitualis* nimirum, quae nobiscum nascitur, et ut lues pestisque imme- dicabilis omnibus semper mortalibus adhaeret; & *actualis*, quae ex illa naturali corruptione oritur, actibusque a lege diuersis se- xerit, atque absoluitur. Illud audit *peccatum originale*; hoc vero *peccatum actuale* vocatur. Vtrumque rursus in multas species diuiditur. Illud enim vel *dominans* est, ut in irrogeni- tis, vel *mortificatum*, ut in renatis, fideque cum Christo con- iunctis: hoc vero vel ratione internae originis, vnde nascun- tur *peccata voluntaria*, vel *inuoluntaria*; vel ratione subiecti pec- cantis habita, ubi sunt vel *interna*; vel *externa*, vel ratione ob- iecti, quod iisdem laeditur, vnde vel contra Deum, vel con- tra nosmet ipsos, vel contra alios etiam committenda peccata exsurgunt; ut praetermittam distinctionem *ratione ipsius actio- nis*, secundum quam vel propria sunt, vel aliena, quae sedu- lo, quum ad scopum nostrum propius non pertineant, sicco pede transimus.

§. VI. *Habitualement* illam a legibus discessionem, seu *pec-* Notio peccati
O.
catum Orig. ponimus in corrupta ac deprauata naturae huma- nae, per omnes eiusdem facultates, dispositione. Duas po- tissimum haec prauitas partes complectitur: et *priuatiuam* alte- ram:

ram; alteram *positiuam*. Ad *priuatiuam*, quae essentiam eiusdem, uti omnis peccati §. IV, constituit, referimus ipsum defectum conuenientiae naturae humanae cum finibus suis legibusque diuinis: quorsum ergo pertinet & absentia boni ac perfectionum, quae per naturam hominibus inesse potuissent ac debuissent; hinc et defectus iustitiae originalis, acceptique in creatione prima luminis ac perfectionis, unde rursus ignorantia, hucusque progenies, error enascitur; et defectus facultatis, restituendi hanc naturae integritatem. *Positiuam* eiusdem partem, quam confectarium partis priuatiuae vocare possemus, constituit ipsa hominum ad mala, licet sub specie boni sibi proposita, inclinatio. Inuoluit ergo praeter priuationem boni inesse debiti, imperfectiones quasdam, contrarie illi oppositas; quae potissimum pars *positiua* in sacra non solum scriptura, sed termino etiam, theologis satis communi, *Concupiscentia* vocatur, corrupta nimirum illa, prout ad malum determinata pender.

Facile ergo patet, denominationem peccati necessario conuenire *corruptioni* huic hominum *naturali*, quod et e sacra scriptura demonstratur, quum sine vlla determinatione, sed proprie haec lues *peccatum* vocetur. ROM. VI, 12. VII, 8. 11. 13. 14. 17. 20; quum et ipsa peccatorum actualium origo sit. Admodum frequens illa Paulo denominatio *Concupiscentiae* et *Concupiscentiae pravae*, secundum usum biblicum, utramque aliquando partem et priuatiuam et positiuam indicat: sensu tamen strictiori proprioque, quod et ipsa denominatio indicat, parti eius *positiuae* imponenda est; unde & scriptores ecclesiastici de parte tantum *positiua* adhibere maluerunt. Cavendam modo est, ne, separando a se duas illas partes, luem illam comminuamus; quod quidem per ipsam animae nostrae naturam nullo modo fieri potest, quippe cuius facultates, pro essentia sua spiritali, ita comparatae sunt, ut nunquam non agant, atque habitualiter in obiecto quodam sint occupatae. Quum itaque imagine diuina desitutae sint, omnique vi, boni quidquam agendi; praua omnino quaedam adesse debet concupiscentia. Requirit illud praeterea sacra scriptura, quae non in *priuatione* solum concretae iustitiae corruptionem nostram ponit, uti ps. XIV, 3, ROM. III, 10. 23. EPH. IV, 18. 1 COR. XI, 19; verum *prauam* eo etiam refert *concupiscentiam*; uti testantur loca MATTH. XV, 19.

GEN.

GEN. VI, 5. ROM. VII, 17. GAL. V, 17. IAC. I, 14. 15. Reliquae peccati huius O. quae & lucem cognitioni eiusdem magnam adierunt, sunt praecipue, ubi vocatur *vetus homo* EPH. IV, 22. COL. III, 9. *caro*, IO. III, 6. GAL. V, 16. *morbis, imo mors spiritualis* ps. LI, 6. 7. EPH. II, 5. I. cetera: de quibus confer FLACII *Clauem* S. S. pag. 873. l. 30. seqq.

§. VII. Vti vterior peccatorum species §. V. *actualium* scilicet, rationem producentem agnoscit, vnamquamque substantiam intelligentem peccantem; et quum de hominibus loquamur, vnumquemque hominem, a lege aberrantem; ita ortum prioris speciei, *originalis* puto, vterius quaerere debemus; et disquirendum quidem est, quisnam auctor peccati illius vocandus sit, et vnde origo illius in humano genere petenda? Praeprimis vero in hac disquisitione hanc effugere debemus maculam, ne auctorem eiusdem statuentes, crimen hoc summo Numini affigamus, auctoremque illum naturae hominum corruptae constituamus. Quomodo enim ab ente perfectissimo tanta imperfectio oriri posset, et a summe bono tantum malum! Alia ergo huius imperfectiois origo quaerenda est; et sicuti omnis certa cognitio, quam acquirere hac de doctrina possumus, ex oraculis hauriri debet diuinis: ita et Paulus rationem nobis de origine deprauatae huius hominum naturae reddit ROM. V, 2. ubi peccatum primi hominis primum, consectoriaque ex eodem orta rationem esse asserit nostrae corruptionis, intimaque prauitatis.

Ortus huius peccati inter homines.

Satis multumque iam inter deorum cultores agitata quaestio est: *vnde ortum sit malum illud obuium inter mortales, & quisnam praecipue auctor mali moralis § III. sit efferendus?* Omnia enim malo repleta esse, probe perspiciebant, & si sine furo fallacisque fateri volebant, quod res sit; magnam imperfectioem tam animae quam corporis se in semetipsis animaduertere, fateri cogebantur. Veram huius mali causam ignorabant, eo quod doctrinae sacrae scripturae illos fugiebant: equis ergo miratur, tam absfona figmenta architectatos esse eosdem, et pro veris venditasse, vt duplex adsumerint omnium rerum principium, bonum nimirum malumque, eidemque boni mali que dei nomen imposuisse? Dolendum tantum est, eadem infami hac macula notatam quoque fuisse Christi ciuitatem, et MANETIS industria multorum

animis

animis persuasum fuisse hunc errorem: licet non negandum sit, alios etiam paganorum aliquam ex commercio cum Iudaeis de connata hac miseria notitiam adquisivisse; quorum antiquissimi doctores peccatum hoc originale non negarunt, quippe quod tam frequens illis nomen **כִּרְהוּת** huius peccati in scriptis eorundem denominatio satis testatur: de quo et vide testimonia: in RAYM, MARTEN *pugione fidei* Part. III. *Dist. II. Cap. VI. p. 579. sq.*

Peccatum inter
homines pri-
mum.

§. VIII. Peccatum ergo primum, in genere nimirum humano, constitit itidem in transgressione legis divinae, paradisiacae nimirum, primis parentibus propositae, de non comedendo nimirum fructu arboris scientiae boni malique. Tentata quidem fuit Eva a Sathana, escaque ipsi proposita fuit, cuius amoenitate allicita aures eo facilius benignas praebuit huius angeli persuasionibus, & per hanc rursus in societatem eiusdem facinoris abreptus fuit Adamus: hoc tamen per se culpam eorundem non minuit, multo minus ab omni eosdem culpa liberat; quum maioris certe ponderis apud ipsos esse debuisset interdictum gratiosissimi creatoris, quam blanda creaturae persuasio. Quae legis divinae transgressio, quamvis parvi momenti plerisque videri soleat, eo grauior euadit, si circumstantiae eiusdem pensantur. Diudicatur vero eiusdem atrocitas 1. ex facilitate seruandi hanc legem. 2. ex integritate, in qua creatus erat homo, nullo interno peccandi fomite lacessitus. 3. ex obiecto laeso, ipso Deo, negataque verbis eiusdem fide; praesertim quum haud ita multo post creationem perpetratum fuerit hoc peccatum; et quae sunt alia, peccati huius atrocitatem adaugentia. Prima ergo peccati huius radix fuit *ἀπιστία*, seu denegatus minis diuinis consensus; hanc excepit superbia, similes nimirum euadere Deo plenarie; et quum ipsum factum sub specie boni sibi repraesentarent, consequutus est tristissimus ille a Deo defectus. Cui vero, haec perpendenti, non in mentem veniunt vitia inter mortales notissima, et ratio plerumque earundem perpetratarum?

Ex his ergo patet, non Deum, sed hominem ipsum fuisse auctorem peccati, & originem hinc omnis miseriae, ex peccato hoc primo enatae.

Non

Non obstant, quas ad accusandum Deum, omnemque culpam a primis parentibus remouendam, quaestiones proferre solent mortales; quarum primaria esse solet, cur Deus non ita creauerit primos parentes, vt decipi, & discedere a lege diuina plane non potuissent? qua tamen quaestione nihil aliud postulatur, quam cur Deus non meros sibi similes creauerit deos? quamdiu enim creaturas volunt esse homines, limitibusque circumscriptos, tamdiu certe ignorantiam & errorem possibilem ipsis manere concedent. Neque minus altera, ad quam configere solent, corruit quaestio; Deum scilicet lapsum ipsum, ne ederent ex arbore vitæ, impedire, si voluisset, potuisse; vbi quidem, impeditionem lapsus hoc respectu absolute Deo fuisse possibilem, adfirmo: verum enim vero quid hoc effectum fuisset? factum externum, ne vescerentur actu fructu arboris vitæ impediisset; peccatum vero ipsum consistit primario in praua voluntatis inclinatione; licet ergo non accessisset factum externum, peccatum ipsum tamen fuisset commissum. Si vero libertate voluntatis homines Deus priuasset, non fuissent homines, et in statum ergo Deus eosdem tridisset, quam quo liberasset, deteriorẽ §. IV. Confer de his & aliis obiectionibus REINBECKII *meltemata in Aug. Conf. medit. XXIII. §. XVII. seqq.*

§. IX. Hoc peccatum inter homines primum est §. VIII. per quod peccatores constituti sunt multi. Confestarium huius peccati primi. *Confestarium huius peccati primi.* mirum eiusdem duplex fuit. Vnum respectu ipsorum protoplastorum; alterum respectu omnium eorumdem posterorum. Illorum respectu excepit hunc lapsum impletio comminationis diuinæ GEN. III, 3. legi adiunctæ. Haec consistebat in praedictione & adnunciatione mortis. Mors triplex secundum usum biblicum est: *vel spiritualis, vel naturalis, vel aeterna.* Prior mox insequuta est, & sub se comprehendebat amissionem imaginis diuinæ; defectum vnionis spiritualis cum Deo; & plenariam totius naturæ eorum in genere corruptionem. *Mors naturalis* successit, postquam emensi essent stadium, quod viuerent, a Deo praefixum, quamuis ipsa miseria, morbus, defectusque virium corporis, quid? quod necessitas moriendi, indiuidui huius peccati comites fuerint. *Mors* denique *aeterna* subeunda quoque fuisset necessario ab illis, vt omnibus eorum posteris, nisi Deus medium proposuisset, quo adhibito, liberari ab eodem possunt. Consequitur tamen & actu apud

B

omnes.

omnes, qui non regenerantur, ROM. V, 18. EPH. II, 3. GAL. III, 10. *Ad posterus* veto primorum parentum eadem haec totalis naturae corruptio peruenit, ob arctissimum inter illos & primos parentes nexum: & quoniam ex peccato illo primo ortum duxit §. VII. *peccatum originale originatum* vocatur, uti illud primum Adami Euaeque peccatum, quum origo sit natiui posteriorum Adami peccati, intimaque naturae humanae corruptio ex eodem fluxerit, termino ecclesiastico *peccatum originale originans* iure adpellatur.

Quum necessitatem moriendi consecrariis peccati Adamitici adnumeramus, eo nequitiam id volumus, ac si impossibile fuisset primis parentibus, nisi peccassent, mori, quae quidem impossibilitas soli Deo conuenit; sed hoc tantum indicamus, possibile fuisse Adamo, nisi peccasset, ut non moreretur: quod quidem nullam inuoluit contradictionem.

Discrimen inter peccatum Or. originans & originat.

§. X. Differentia ergo inter *peccatum Or. originans* & *originatum* duplex potissimum statui & adsumi debet. *Alter*a, quod peccatum Or. originans, quale in Adamo et Eua fuit, *revera sit actuale*, & quum Adamus non ut physica tantum in hoc actu; sed ut moralis etiam persona considerandus sit; id est, ut caput repraesentatiuum vniuersi generis humani, cuius ergo facta, in quibus in hoc nexu constitutus fuit, iure posteris eiusdem imputari, praesupponimus *ex theol. Reuel.* per imputationem hanc tantum nostrum fiat *moraliter & imputatiue*. Peccatum vero Or. originatum habituale fit §. V. VI. nobis internum. *Alter*a, quod peccatum Or. *originans* sit *caussa originati*, hoc autem illius *causatum*. Vti ergo inter se differunt *caussa & causatum*; ita & peccatum originale originans & originatum, ut illud principium existentiae huius vocandum sit.

SECTIO II.

DE SEDE PECCATI ORIGINALIS.

Subiectum huius peccati quod.

§. XI. Laborant hoc vitio, & infecti sunt totali hac, quam peccatum Orig. vocamus, corruptione, omnes omnino mortales,

mortales, ab Adamo, primo hominum, si a Deo discesseris, auctore, descendentes. Aperte hoc testantur sacrae scripturae oracula, quae tam defectum gloriae diuinae, seu concreatae homini initio iustitiae communem adserunt omnibus ROM. III, 23. quam ea, quae in toto terrarum orbe purum inueniri neminem IOB. XIV, 49. omnesque adeo filios irae esse natura adfirmant EPH. II, 3. Cum quibus sacrae scripturae testimoniis tam perfecte, proh dolor! consentit experientia vniuersalis, vt vix possibile sit, dubium cuiquam contra hoc dogma relinquere. Vnusquisque, nisi sibimetipsi plane ignotus est, sentit in se venenatum illum fontem, ex quo tam varii generis vitia promanant, & contra ipsius etiam voluntatem saepissime exaestuantes: in vnoquoque radix isthaec inuenitur malorum, & omnem obseruabis, sine vlla informatione sponte malum vitiosumque euenire, artibus vero & virtutibus instructum & ornatum sibi relictum hominem euadere neminem.

Argumentum et demonstratio haec praesentiae vniuersalis peccati Originalis a posteriori vel experientia, eo planior certiorque est, quo facillior vnicuique conuictio eiusdem euadit, quum & eadem hac via deorum olim cultores ad aliquam instrae huius corruptionis peruenerint cognitionem, quamuis plenariam illius perfectionem adsequi haud potuerint §. VII. not. quae quidem demonstratio ad maiorem certitudinis gradum attolli adhuc potest, si fatalem illam, omnibusque hominibus communem moriendi necessitatem, omnesque corporis infirmitates fructus esse huius corruptionis meminerimus §. IX. ROM. VI, 23. praecipue si infantes considerauerimus, vel in vtero materno, vel paulo etiam post partum, lucemque adspexam, quum peccatis certe voluntariis maculati nondum sint, debitum hoc naturae saepissime perfoluerit. Plenaria hoc respectu omnium hominum similitudo, quod omnes imagine diuina priuati, macula hac adpersi sint, e dicto Paulino ROM. III, 23. certo liquet, si obiectum, de quo loquitur Paulus, cogitandi Paulino, mortales: quumque hi omnes peccatores sint, & quidem tales, vt discrimen inter ipsos secundum prop primam remouendum sit, de peccato Origin. hoc dictum propius intelligendum est; praesertim quum de illa, cuius iacturam sibi fecisse dicimur, iustitiam illam originalem, primis parentibus concreatam, saepe indicet, imo v. 24. eandem hunc sensum requirere videatur EPH. I, 3.

Subiectum
pecc. Or. quod
anima prima-
rio.

§. XII. *Subiectum* ergo, vti loquuntur, huius mali inhaerens suum quod, esse omnem hominem §. XI. adstruximus. Homo compositus est duabus potissimum partibus, quae, dum essentiam illius efficiunt, essentialia eiusdem vocantur; materia nimirum composita, id est, corpore, ad varii generis mutationes apto, & substantia simplici, vel spiritu intelligente; qui, quoniam in arctissimo nexu constitutus est cum illo, anima hominis dicitur. Hae duae partes quum tam arcto inter se foedere, quod ad vnum eundemque finem directum est, iunctae sint, nulla in altera earumdem mutatio locum habere potest, quae non simul alteram adficiat, *per psychol. empir.* hinc neque vna earumdem imperfectiones pati potest, quae non simul tangant alteram, quod omnium morborum species testantur. Peccatum Orig. est malum insitum homini, & confert illi adeo imperfectiones; hoc dum homini insitum, eundem corrumpat, ad vtramque eius partem se extendat, omnesque eius partes essentialia, corpus ergo & animam imperfectiores reddat, necesse est. Tam corpus ergo, quam anima peccato Or. corrupta sunt. Quum vero haec corruptio naturalis sit peccatum proprie dictum §. VI. not. et in habituali speciatim a lege consistat discessione §. V. IV. et proinde, sicut peccatum in genere, sit *malum praecipue morale* §. III. IV. Omnis porro discessio a lege supponat libertatem, libertas vero sit attributum animae intelligentis §. IV. et corpus, altera pars hominis essentialis, per essentiam suam, qua compositum est, facultate intelligentiae ac libertatis careat, nec legis; hinc nec peccati §. IV. capax sit; patet inde peccatum Or. primario locum habere debere in anima hominum; seu, quod idem est, *sedem peccati Or. primario esse animam*; quod et ex GEN. VI, 5. VIII, 21. EPH. IV, 18. 22. MATTH. XV, 19. euidentissime probatur §. IV.

Quum primariam ex adductis locis probationem vsus vocabuli *Cor-*
olis nobis suppeditet; & prima eiusdem mentio, & vsus hoc sensu occurrat GEN. VI, 5. e quo etiam loco, reliqua, idem vocabulum adhibentia, diiudicanda videntur; vberior huius vocis consideratio non exiguum in hac materia fructum pollicetur. Dictum enim hoc de pecca-

to Or. agere, non vero tantum de peccato actuali, primo intuitu facile liquet, quum de hoc prima versus §. propositio loquatur, altera vero hoc modo vel superflua, vel quod tutius, quum & ipsa loquutio a priori multum differat, de peccato Orig. intelligenda sit. Conf. B. LANGII *Comment. in Genes. p. 99.* Frequens huius vocis carnis in sacra scriptura vsus est, & varie in eadem accipitur. Non raro tamen pro ipsa anima rationali poni loca indicant parallela; quae intelligendi & volendi vim cordi adscribunt. Quid enim aliud indicat praecipuum illud DEUT. VI, 5. *diligere cetera: ex toto corde*, quam omnem animi inclinationem, adfectum & propensionem directam esse debere versus Deum, quum amor certe omnis in anima hominis primario inueniatur. Et si ESAIAS C. XXIX, 14. nomine Dei, cor hominum longe remotum esse a Deo, queritur; certe etiam de animae auersione loquitur, quum de corporis externo habitu priora iam verba pronuntiauerit. Ponitur ergo cor pro anima rationali, & si ideo Deus GEN. VI. & VIII. cor hominis accusat, quod malum sit; ipsam profecto animam humanam ita plenarie corruptam esse adserit, & illam proinde fontem potissimum malarum actionum omnium, quin et sedem peccati originalis primariam adfirmat. Eadem veritas euinci quoque potest ex comparatione huius peccati cum imagine diuina originaria. Quum enim homo effectus sit ad imaginem Dei, ita, vt Deum aliquo modo repraesentet, Deus vero spiritus sit; corpori humano similitudo cum Deo inesse proprie non potuit; ergo animae primario; anima ergo fuit sedes primaria concreatae imaginis diuinae; peccatum Or. successit in locum amissae huius imaginis diuinae primariae, ergo & peccati Or. sedem primariam animam adsumere cogimur.

§. XIII. Et ita *subiectum quo* peccati orig. primario esse animam §. XII. vindicauimus. Anima, quamuis vnica tantum vis eidem adscribenda sit, diuersis tamen gaudet facultatibus, quae in *superiores* & *inferiores* diuiduntur. Illae distinctis, hae confusis cognitionibus & repraesentationibus occupantur. Illae spiritibus tantum propriae sunt intelligentibus; hae omnibus sentientibus communes. Ad facultates *superiores* refertur *Intellectus* & *Voluntas*: Ratio enim ad intellectum referri commode potest. Ad facultates vero *inferiores* pertinent *phantasia*, *reminiscentia*, & omnes adpetitus & auersiones sensitiuae, a confusis cognitionibus pendentes. Vti ergo in tota harum facultatum dispositione confusio defectusque a regula

Facultates animae indicantur.

dominatur, vt scilicet facultates inferiores non, vt debent, dependeant semper a superioribus: ita & in singulis magna adest, experientia teste, corruptio. Videamus hunc defectum in singulis, & a facultatibus superioribus, vt principalibus, initium faciamus.

Corruptio intellectus respectu veritatis naturalis.

§. XIV. *Intellectus*, si interpretari eum velis, nobis est *facultas, distincte cognoscendi*. Facultates animae nostrae tam superiores, quam inferiores diuiduntur in cognoscitias & appetitiuas; intellectum ergo ad priores referendum esse, apertum est per ipsam definitionem. Intellectus in genere eo vitio hodie laborat, vt imperio suo in ceteras facultates non recte utatur, quum illius esset, ceteras animae facultates, & voluntatem praepriis determinare; tam quoad obiectum, quam modum etiam & gradum, omniaque sub examen vocare, quae vel sensibus confuse nobis repraesentantur, vel ad quae facultates animae appetitiuae coeço quasi saepe impetu ruere nituntur. Quum vero in specie in se ipso spectatum corruptum vocamus intellectum, eundemque vitium induisse per peccatum Orig. in *cognitione* eiusdem aliquid desiderari, eo adfirmamus. Omnis cognitio humana se extendit vel ad *naturalia*, vel ad *supernaturalia*; seu obiectum omnis cognitionis humanae sunt vel supernaturalia, quo pertinet cognitio viae acquirendae salutis, medique, per quod illa obtinenda est, vel naturalia, quo nomine omnia alia scientiarum genera, imo & res morales ac civiles comprehendimus, vtraque harum cognitionum species admittit rursus gradus, tam latitudinis, quam profunditatis; & vel *extensue* vel *intensue* clarior est, vel obscurior. In omnibus his speciebus magnos intellectus inuenimus defectus, & quoniam in Adamo ante peccatum primum commissum non fuerint, e peccato quidem orig. pendentes. Magna Adamum cognitione rerum etiam *naturalium* praeditum fuisse, lumine imaginis diuinæ primariae adhuc coruscantem, tam ex omnibus eius actionibus, quam ex actu illo praepriis GEN. II. commemorato satis euidens esse putamus. Quanta vero hodie igno-

ignorantia ac caligine in rebus etiam naturalibus intellectus humanus obductus fit, vt errorum, infirmitatis in ratiocinando, iudicando, consultando, quae in illis etiam conspiciuntur, quos prudentissimis adnumeramus, exempla satis docent IOB. XXXVI, 14. & quam difficilis etiam sit adquisitio cognitionis eiusmodi humanae, experientia satis testatur. En itaque magnum in rebus naturalibus defectum.

In diuersas interpretes abeunt sententias, quisnam finis primarius actus illius GEN. II. constituendus sit? dum plerique id factum esse adsumunt, vt Adamus imperii sui in omnes creaturas eo ederet documentum, quoniam impositio nominis aperta imperii in illos, quibus datur, demonstratio erat, praesertim apud orientales. 2 PARAL. XXXVI, 4. DAN. 1, 7. Quamuis vero huic opinioni aduersari ipse nolim, eundemque hunc finem agnoscam; ex GEN. II, 19. tamen satis clarum est, ideo quoque adductas esse ad Adamum creaturas, vt Adamus videret, vel diiudicaret, quodnam cuique nomen commode tribuendum sit? eoque ipso exemplum cognitionis suae in rebus naturalibus ederet. Quum enim nomina, si enti vere conuenire debent, ita comparata esse debeant, vt ipsius entis quaedam attributa ex illis cognosci queant; hinc cognitio horum attributorum in illo praesupponatur, qui nomina eiusdem impertiri vult: ergo & in Adamo cognitio attributorum, totiusque omnium bestiarum naturae, magnum sane specimen scientiae rerum naturalium eo ipso, dum nomina dedit bestiis, prodidit; quum ex multis exemplis eiusmodi nominum adpareat, quam egregie ipsis bestiis, quibus imposita sunt, conueniant, ex quo magno exemplorum grege nomen tantum piscis ¶ adduco, quod ob insignem sui generis multiplicationem nactum esse omnes norunt.

§. XV. Sed maioris momenti, de quo & magis conquestum super-
 rantur sacrae scripturae oracula, est coecitas illa atque igno-
 rantia, in rebus *supernaturalibus* ac diuinis, vtpote quarum ig-
 nora[n]tia & maior est, et maius hominibus confert detrimentum.
 Vocatur haec ignorantia intellectus in spiritualibus in sacra scri-
 ptura EPH. IV, 18. *tenebrae*, imo ipsum subiectum inhaesuum
 eiusdem *tenebrae* appellatur EPH. V, 8. Tenebrae opponun-
 tur lumini. Lumen si intellectui tribuitur; scientiam vel cogni-
 tionem eiusdem, & maiorem quoque earundem gradum, indi-
 cat, & in sacris literis praesertim salutarem illam mediorum, ad
 salutem

Respectu veri-
 tatum super-
 natural.

salutem perueniendi, cognitionem, ipsamque fidem ps. XCVII, 11. 1 Jo. I, 1. II, 7. unde, si tenebris obscuratus esse dicitur, defectus salutaris illius cognitionis eo indicatur. Pertinet huc ipsa ignorantia, vel admodum difficilis saltem cognitionis adquisitio, *tam* ipsius Dei existentis, & salutem nostram sedulo quaerentis, *quam* veritatum aliarum spiritualium, medium salutis constituentium. Cognitione Dei tam naturalis homini non est, ut actu connata ipsi proprie dici queat; ut contra magno potius ratiociniorum cumulo opus sit, priusquam ad eandem perueniamus. Et si etiam haec propositio: datur Deus, cognoscitur, & ut vera accipitur; noua tamen intellectus se aperit ignorantia attributorum diuinorum, in sacra scriptura indicatorum, ut *omnipraesentiae*, *immensitatis*, et aliorum, intellectum nostrum superantium; ut silentio praetermittam *mysteria* ad vnum omnia in sacris litteris nobis patefacta, quae *mysteria* ideo vocantur 1 TIM, III, 16. quod intellectus noster ea capere plene non possit. Cum cognitione Dei arctissime cohaeret cognitio de mediis salutis nostrae instaurandae; & quum ea careamus, in hac quoque ignorantiam homo fateri cogitur, ut recte atque accurate eadem inspicere ac cognoscere nequeat; quae quidem impossibilitas, perspiciendi recte veritates diuinas, nomine *coecitatis* in sacra scriptura venit, uti prior, ipsa nimirum earumdem ignorantia *tenebrae* atque *caligo* vocantur EPH. IV, 18. Ex qua idem ignorantia atque coecitate aliud adhuc malum in intellectu enascitur, praecipitantia nimirum atque error in iudicando de veritatibus eiusmodi. Quum enim homo naturalis intelligere non possit diuina; velit tamen eadem introspicere, vel falsas sibi de iisdem ideas fingit, vel si ipse impossibilitatem, eadem plenarie inspiciendi, videt; absurdas has veritates, nulliusque momenti esse iudicat. Ut adeo mortuus homo in peccatis & per peccatum Or. mortem sibi propriam fecisse, vere dicatur. Vtrumque, *ignorantiam* nimirum, & *falsum* hominis naturalis de rebus diuinis *iudicium* coniungit Paulus 1 COR. II, 14. vbi prima propositio, hominem naturalem non cognoscere
spiritua-

spiritualia, ignorantiam eiusdem; altera autem, eadem ipsi absurda & impossibilia videri, falsum eiusdem iudicium de hisce rebus diuini indicant, atque exprimunt.

Dum difficilem acquisitionem cognitionis de Deo omnibus mortalibus communem adfirmamus; hoc nequaquam contradicimus tam experientiae, quam dictis theologorum, qui omnibus hominibus conuictam quamdam Dei cognitionem adscribunt; quo etiam referre possumus paganorum scriptores, qui saepius testantur, nullam gentem tam immanuetam fuisse, quae non Deum agnouerit, qualia tam in ARISTOTELE, quam PLYTARCHO & CICERONE de natura Deorum & TVSCVL. quaest. quam plurima inueniuntur testimonia. Etsi enim illam, omnes populos, in maxima etiam barbarie uiuentes, numen aliquod cognoscere & colere, vt indubiam praesupponamus, quod tamen probari tam certo non potest: eo tamen nondum demonstratum esset, illos ex se metipso hanc Dei cognitionem produxisse, sed ab aliis illam accipere eosdem potuisse, remanet. Dicitur vero illud theologorum de conuicta omnibus Dei cognitione facultatem tantum Deum cognoscendi, & propensionem efficacem, ens eiusmodi perfectissimum arripiendi, simulac proponatur, ac demonstretur hominibus existentia eiusmodi entis, omnes perfectiones possidentis, iisdem tribuit. Facultate quidem homo pollet adhuc, Deum cognoscendi, licet non plenarie, sed inde non sequitur, neque hanc cognitionem ipsam actu semper adesse, neque, si adsit, vniquemque, quod negamus, propria meditatione, proprioque motu ad salutarem hanc cognitionem peruenisse.

§. XVI. Alteram facultatum animae superiorum constituit voluntas, quam facultatem volendi in specie vocamus, spiritus. Corruptio voluntatis. ritibus itidem, vt ille quoque, propriam; & vt ille ad facultates cognoscitiuas; ita haec adpetitiuas rationales referenda est. Dum vero voluntatem nominamus, non ipsam solum voluntatem sensu strictissimo sumtam; sed voluntatem etiam indicare hoc vocabulo volumus. Haec voluntas nostra, vt corrupta, duplici prauitatem suam prodit ratione, vel in obiectis; si, quae mala sunt, cupit, bonaque auersatur: vel si, obiecto etiam recte constituto, modum, mensuramque pro ratione obiecti adpetendi non habet. Originem huius corruptionis, modumque, quo se exserit, hunc habet. Omnis adpetitio, vel auersatio, hinc rationalis praecipue, si recte ordinata esse debet, a cognitione

C

depen.

dependeat, necesse est: quae enim non agnosco, neque adpetere, neque auersari cum ratione possum. Nam, quae recte agnosco, vt mihi bona adpetenda, & quae recte agnosco, vt mihi mala, auersanda sunt. Vnde & regula volitionis nolitionisque ortum duxit, haec scilicet: non prius aliquid volo noloque, quam intellectus mihi repraesentet, vel vt bonum, vel vt malum: vt adeo facultatem cognoscitiuam superiorem, vel intellectum sequi semper debeat. Et hic habes primum in voluntate defectum, quod nimirum coeco saepe impetu in obiectum aliquod rapiatur, illudque vel velit, vel nolit, quamuis ab intellectu vel plane non, vel non sufficienter examinatum §. XIV. imo, quod magis est, in contraria saepe nitatur, quam quae intellectus ipsi persuasit. Et si etiam sequatur voluntas regimen intellectus; sequetur eundem vt corruptum, qualem §. XIV. XV. proposuimus. Quumque hic, vt corruptus, obiecta non solum multa plane ignoret, hinc neque vt bona agnoscat, neque vt male, neque voluntas eadem adpetere, vel auersari potest cum ratione; sed alia etiam non ita agnoscat, vt reuera sunt, bonaque saepe vt mala, sibi proponat, & haec rursus sub specie boni sibi repraesentet; quanta hinc & in voluntate oriatur confusio! Et ita nascitur in voluntate impotentia, ad vere bona sese determinandi; iisdemque immediate non excitatur, quid? quod ipsa etiam auersio a vere bono, & quod horrendum dictu est, ab ente adeo perfectissimo summeque bono, illiusque dilectione ROM. VII, 14-18. seq. conuersio contra inordinata, vti ad creaturas in genere, ita in specie ad semetipsum. Et hi sunt defectus potiores, quos in facultatibus animae superioribusprehendimus.

Corruptio facultatum inferiorum.

§. XVII. Progredimur ad facultates inferiores, & in iisdem cognoscitiuas seiungimus ab adpetitiuis, & in illis praecipue sensationes & phantasias, in his vero adpetitus & auersationes sensuales notamus. Hae facultates inferiores si recte ordinatae essent, a superioribus leges acciperent, vt nobilioribus, maiori distinctione praeditis. Sensationes quidem externae
non

non semper ab arbitrio, libertateque nostra dependent, quoniam res externae in potestate nostra non semper positae sunt, obiecta illa atque occasiones eiusmodi sensationum; sed imaginationes ipsas atque repraesentationes earum confusas in anima nostra libertas nostra posset moderari, ut ne ex repraesentationibus entium confusis voluptas, vel taedium confusum oriretur, & ex his rursus appetitus, vel auersatio confusa. Et repraesentationes quidem sensuales disquisitioni intellectus suppositae essent, qui, quid in illis bonum, quidque malum sit? & quo gradu utrumque, diiudicaret, & ita voluntatem determinaret ad adperendum vel auersandum rationaliter, prouti visum fuerit intellectui, & haec denique voluntas ope uteretur adpetitionum, vel auersationum sensualium adfectusque excitaret, ita tamen ut voluntas tam modum, quam gradum eorumdem praescriberet. Ita ordo obtineretur, inter facultates animae inferiores & superiores; si inferiores tantum agerent, ut dependentes a superioribus, neque prius agerent, quam eaedem. Et ita bonum vel malum adparens repraesentationes nostras confusas tam saepe & tantopere non excitaret. Quum vero supra iam §. XV. ostensum sit, intellectum lumine non solum necessario carere, & dominium suum non semper exercere in facultates inferiores, imo ipsum intellectum inter & voluntatem ordinem ac consensum rescissum esse ac diremptum §. XVI. confusionem earumdem facultatum inferiorum quilibet concipere sibi potest. Adfectus, ut debent, non excitantur semper a voluntate; sed a confusis repraesentationibus: haec vero, quum obiecta non semper ita proponant, uti reuera sunt, sed uti videntur; adfectus etiam hominis coeco impetu in aliquod feruntur, & illud amant homines, quoniam ut bonum repraesentatum ipsis est confuse, aliud vero auersantur, & in his quoque neque mensuram neque modum rectum obseruantes, quum & voluntas ipsa, a quales accipere deberent propius, eadem duplici hac ratione saepe erret §. XVI. eo quod ut malum ipsis confuse obicitur. Regula adfectus nobis est: sensationes, bonae visae, sunt re-

Facultates inferiores non sunt sedes exclusivae.

vera bonae, easque adpeto, malas vero vitas sensationes auerfor, & ea in re non expectant iudicium intellectus, qui, si probe discerneret omnia, multa adparenter bona mala reuera esse, & multa mala visa, speciem tantum mali induere, videret.

§. XVIII. Et ita probasse putamus §. XIV-XVII. quam in parte potissimum hominis peccatum Orig. primario quaerendum sit; animam nimirum, secundum omnes eiusdem facultates, sedem eiusdem primariam esse constituendam. Verum enim vero non desunt, qui aliam hac in re sententiam tuerentur, quorum ergo argumenta, quoniam thesi nostras directo aduersantur, tribus saltem verbis perlustrabimus. In diuersas hi rursus sectas abeunt; quum alii in facultates animae inferiores, exclusis superioribus, illud detrudant, quippe quam sententiam suam fecerunt ecclesiae Romanae defensores; alii vero animam nullo modo adfectam esse hoc morbo, sed in corpore sedem illius *exclusivae* collocandam esse, & illam ad summum, ob arctissimum animam inter & corpus nexum, sedem eiusdem secundariam esse vocandam, adfirmant, per participationem quamdam, quam quidem opinionem recentiores quidam, & in specie fanatici quidam tuerentur. Romanae fidei propugnatores, vt suam sententiam firment, defensionem illius in sacra scriptura & locis praesertim ROM. VII, 7. & IAC. I, 19. quaerentes, argumenta ex locis citatis desumunt, vbi peccatum originale ab utroque apostolo *concupiscentia* vocatur, qua vero denominatione facultatum animae *inferiorum* tantum inordinatio designari ipsis videtur. At vero 1) ἐπιθυμία ne semper quidem inordinatam illam prauamque concupiscentiam designat, sed intensissimum haud raro in genere desiderium, rem quandam perficiendi, LVC. XXII, 15. PHIL. I, 23. 1 THESS. II, 17. hinc & voluntatem; ergo non semper de facultatibus inferioribus vsurpatur. Si ergo & locis citatis, quod nemo negat, de *concupiscentia mala* vsurpatur, ad facultates eadem ratione superiores, earumdemque inordinatam dispositionem trahi potest, quam aduersarii de inferioribus *exclusivae* intelligunt. 2)

Per

Per §. VI. haec vox locis citatis partem potius peccati orig. *positivam* indicare potest, & tam ad intellectum & voluntatem, quam ad facultates animae inferiores referri. Et si 3) concedimus, locis citatis de facultatibus tantum inferioribus sermone esse, easdemque peccato orig. infectas, inde tamen non sequeretur, hoc *exclusivè* intelligendum esse, quum vnus adfirmatio non semper sit alterius negatio, aliaque oracula intellectum pariter ac voluntatem hac lue maculatum esse adfirmant. Ergo saltem *certum* non exhibent argumentum EPH. IV, 18. 22. V, 8. TIT. III, 3. §. XV. et ROM. III, 12. VIII, 7. §. XVI.

Eandem ob causam, quia *ecclesia Rom.* sedem peccati orig. primariam facultates animae inferiores statuit, superioresque hac lue liberat, in dogmatibus *Concilii Tridentini*, adeoque publica huius ecclesiae doctrina *Sess. V.* peccatum orig. nomine *concupiscentiae* tantum insignitur, & veram propriamque peccati rationem habere ibidem negatur, eo quod omnis peccati sedem adaequatam facultates superiores statuendas esse agnouerint. §. XII. Opinio altera, corpus sedem peccati orig. esse exclusivam originem suam, si recte coniecio, placitis antiquorum quorundam debet philosophorum, qui *materiam* sedem omnis mali, hinc et peccati esse putabant; quorum tunc ad castra transferunt multi christiano quidem coetui addicti, haeretici tamen, & denique patribus quibusdam, rectam ceterum fidem amplexis ac defendentibus, hic error imputatur, quamvis horum sententia ita explicari queat, vt ab omni aliena maneat errore, *conf. V. Summe reuer.* PRAESIDIS *theol. mor.* §. 47. *not.* Recentioribus, qui hunc errorem errant, adnumerandis quoque est praeter DEMOCRITUM CHRISTIAN. in libro germanice conscripto, *evangelica* nimirum *verae iustitiae demonstratio*, PETRVS CHAVVINVS, in libro quodam de *naturali religione*, vbi verba eius exstant: *Peccatum illud originis in nepotes diffundi per corpus, asserimus, eique totum sub conceptionis initium in solidum adscribimus, ne Deum in nostram nequitiam consociemus: quem prae ceteris BYDDEVS in parergis historico theologicis p. 565. ex professo refutavit.*

§. XIX. Huius sententiae de corpore, sede peccati orig. *Neque corpus.* primaria, imo exclusivè tali, defensores ad quaedam praecipue sacrae scripturae confugiunt oracula, firma, vt ipsis videntur, sententiae suae fulcra. Omnia vero, quae fingunt, adhibitam in sacris litteris denominationem *carnis*, quum de peccato orig.

fermo fit, spectant: quorsum ideo referunt ROM. VII, 18. GAL. V, 17. imo, quod princeps fere est, ROM. VII, 24. ex quibus quidem locis argumentantur: quoniam congenita haec lues *caro* ibidem vocatur, imo opponitur expresse τὸ πνεύματι, quod quidem animam significet, sequitur inde totum hoc malum in corpore esse quaerendum. Sed 1. generatim notandum est, quod §. XVIII. iam obseruatum; vnus nimirum positionem alteram partem non excludere. Sit ergo; locis allegatis de carne hominis sensu proprio sermonem esse, adesset tunc his locis demonstratio, peccat. orig. etiam in carne hominis, seu in corpore esse quaerendum; nullo vero modo *exclusiue*, neque principaliter quidem, quam tamen significationem *exclusiue* talem necessario adsumere tenentur aduersarii, si quid ex illis demonstrare contra nos volunt. Quod vero speciatim ad vnumquodque dictorum prolatorum attinet, loquutio ROM. VII, 18. *hoc est in carne mea*, secundum proprium Paulo loquendi modum, ROM. VI, 6. 12. totam potius hominis corruptam naturam, carnalesque in specie motus ac desideria denotat, nouo homini contraria, & speciatim etiam adpetitus sensituios §. XVII. quam vt de carne proprie intelligenda sit, & hanc pecc. orig. sedem *exclusiue* designet. Alterum vero dictum GAL. V, 17. opinioni aduersariorum eo minus fauet, quia necessario, si demonstratio necessario sequi debet, sique σὰρξ & πνεῦμα opposita esse volunt, vti secundum contextum esse debent, πνεῦμα semper ipsam designaret animam; alteram hominis partem essentialem: tunc enim vere opponeretur τῇ σαρκὶ secundum aduersariorum opinionem, indeque descendens adiectiuum, hominem semper exprimeret, duce ratione, vel rationaliter viuentem: qui vero significatus genio loquendi Paulino aduersatur, a quo ita vsurpatur 1 COR. II, 14. 15. et 1 TIM. IV, 12. vt homini, subimetipso, secundum propriam voluntatem corruptam viuenti, et ductum rationis & animae nondum regenitae sequenti, vel ψυχικῶς opponatur; hinc per regulas verae oppositionis πνευματικὸς hominem indicet, necesse est, spiritum Dei, eiusque

eiusque dona viresque habentem, indeque abstractum nomen *πνεύματι* vires spirituales, a spiritu S. regenito concessas, vel, quod idem est, interiorem nouumque hominem; huic ergo *πνεύματι*, vt ad rem reuertamur, GAL. V, 17. opponitur *σαρκί*. Quid igitur per nostram deductionem stilo Paulino magis conuenit, quam vocem hanc oppositum quoque *τὸ πνεύματος*, vti explicuimus, indicare, id est, veterem illum hominem, ipsumque in genere peccatum orig. motusque eiusdem? vt adeo sedes huius corruptionis ex hoc quidem loco vindicari plane nequeat. GAL. V, 19. 20. Addo solutionem dubii tertii, quod ex ROM. VII, 29. deriuare & nestere student. Quum vero ratio indicari possit, cur peccatum orig. *corpus* vocetur, propter cohaerentiam nimirum peccatorum inter se, imo & arctissimum cum poenis, hoc excipientibus nexum, quum et mors poena peccati sit Cap. VI, 6. quod et ex denominatione *veteris hominis* adeo frequenti perspicui potest, vim argumenti ex hoc loco desumpti conuere, vnicuique facile adparet.

§. XX. Adfunt adhuc alia argumenta, quae ad confirmandam hanc sententiam ex dictis S. S. pariter congefserunt. Primum desumitur ex GEN. VIII, 21. vbi de figmento cordis humani dicitur, quod malum sit; quod quidem dictum sedem huius peccati *cor*, id est, corpus humanum vel temperamentum etiam hominis indicare videtur, quum figmentum, quod per metaphoram a figulo ad cor hominis transfertur, ipsam concupiscentiam malasque propensiones indicet. Quum vero §. XII. locis iam aliis commonstrauerimus, *cor* hominis in sacra scriptura pro ipsa eiusdem anima illiusque facultatibus poni saepissime, tota aduersariorum in fumum abit argumentatio GEN. VI, 3. Vnde & alterum argumentum ex MATTH. XV, 19. diiudicari potest, quo loco facinora, ibi enumerata, ex corde egredi dicuntur, quoniam, priusquam actu ipso perpetrantur, concipiuntur in anima, homoque sibi proponit, iisdem se maculandi. Tertium denique, quod addunt, suppeditat dictum Paulinum ROM. VIII, 6. 7. qui vero locus admodum consentit illi ex GAL. V,

Continuatur
refutatio.

17. §. XIX. iam vindicato; unde et hic ea, quae de *carne* praedicantur, desiderium, cupiditas eius, imo & inimicitia adversus Deum generatim de insita homini corruptione debent pronunciari §. XVI. uti & desideria *spiritus*, seu *noui hominis* de restauranda in hominibus vita spirituali: ut adeo *sedes* huius insitae corruptionis ex hoc dicto effici plenarie nequeat.

Sedes peccat.
orig. secunda-
ria, corpus.

§. XXI. Minime tamen plane liberatum est corpus, ut ne haec corruptio illud etiam adficiat. Quamvis enim corpus per se moralitatis capax non sit §. III. hinc nec discessionis a lege seu peccati §. IV. sed actiones mutationesque eius, ut *corporis*, necessariae quodammodo sint, eo quod omne corpus, ut corpus, aliter agere non possit, quam uti dispositio eius regulaeque motus, quibus suppositum est, quae tamen a creatore summo convenientes ipsis datae sunt, requirunt; quoniam tamen corpus humanum, ut coniunctum cum anima humana, dependet ab imperio animae peccato contaminatae, & haec in peccatis membrorum corporis ope utatur, ad peragenda flagitia; ipsum quoque instrumentum euadit malorum, quae peraguntur. Quum vero hic usus virium corporis humani, si ad mala dirigitur, fini contrarietur, a summo Numine proposito, quum ad ipsius Dei glorificationem tendere potius debeat; corpus secundaria iure huius peccati sedes & mediata vocari potest. Quemadmodum enim iustitia concreata, & confectaria eiusdem ad corpus extensa quoque fuerunt §. IX. illaque per corporis membra efficax fuit; ita & a participatione miseriae connatae eodem modo corpus non est excludendum. Quumque porro cum singulis adfectibus, tam appetitu, quam auerfatione, sensitiuis, coniunctae sint, ob arctissimum corpus inter et animam harmoniam, convenientes illis in corpore, partibusque praesertim illius fluidis, mutationes: praeter instrumentum malorum cupidinum, fons etiam et scaturigo prauarum & illegitimarum animae existit commotionum, utpote quod peccata sic dicta carnis praecipue restantur, quae in dispositione ut plurimum temperamenti corporis fundatae, animam humanam ad

ad eadem scelera declinant; vnde et Paulus, *ne corpora nostra demus instrumenta nequitiae*, grauius cohortatur ROM. VI, 12.

Pertinent huc et omnia consecraria pecc. orig. corpus maxime adfici-
cientia; quorsum ergo refero *morbos omnes*, hosque concomitantem
saepe ipsam *mortem*. Quum enim Adamus, si mansisset in statu per-
fectionis, liber fuisset a necessitate moriendi §. IX. hinc & morbis non
vexatum fuisse, verisimile sit; hodie, postquam peccato hoc maculati
sumus, non aliter nascimur, quam mox morituri, debitumque ita
naturae nostrae corruptae reddituri. Totam proinde et corporis com-
positionem mutatam esse longeque diuersam ab illa, quam possederunt
primi parentes, lumine imaginis diuinae adhuc gaudentes, non solum
ex GEN. III, 7. et 10. sed etiam ex v. 16. liquet, quae verbis priori-
bus commemorata consecraria versuque 16. adnunciata poena magnam
in corpore humano tam *maris et focinae generatim*, quam *huius*
in specie produnt mutationem; de quo vide LANGIUM in *Comment. in*
Genes. p. 79. differentem.

§. XXII. Omnis ergo totusque homo per omnes par-
tes ac facultates corruptus est, et imperfectionibus scater. Emenda-
tione proinde, si Deo placere vult, *quum natura omnes filii*
irae sinus EPH. II, 2. maxime indiget. Huius emendationis,
dum in terris agunt, initium quidem fit in regeneritis, quod ad
dominium eiusdem attinet; plene tamen vti Pontificii *Concil.*
Trident. Sess. V. somniant, tolli non potest; maior vero ac ple-
naria ab illa liberatio speranda post mortem in fidelibus: quam-
uis ne tunc quidem *per ipsam mortem, vt causam efficientem*,
haec corruptio in illis extirperur. Quemadmodum enim ad
extenuandam eiusdem vim in fidelibus, gratia opus est spiritus
S. supernaturali, homoque, quod tota ipsius natura corrupta est,
naturalibus viribus iustitiam illam ac puritatem, Deo placentem,
adsequi non potest: ita eadem certitudine idem de plenaria ab
hac lue liberatione, negandum est, quum in ipsa morte nulla
ratio effectus eiusmodi adsit. Si vero per ipsam animae a cor-
pore separationem, huiusque in minutissimas partes dissolutio-
nem, peccati orig. extirpationem fieri vellemus *naturaliter*;
hac ratione eodem modo impii, atque fideles, hac lue libera-
rentur, et illi proinde aequae ac hi aeternae, quae impuris tantum
D dene-

Peccat. orig.
non extirpa-
tur per mor-
tem naturali-
ter.

denegata est, compotes fierent salutis, quod tamen nemo, nisi ordinis sal. plane ignarus, concedet. Et si etiam de corpore, de quo tantum valeret, hoc adfirmaremus; de *secundaria* tantum pecc. orig. sede eiusmodi extirpatio naturalis concedenda esset; anima vero, utpote princeps subiectum inhaesuum, et quae eiusmodi mutationibus, quae corpori eueniunt, exposita non est, naturam suam retineret, quam antea habuit, id est, corruptam, mutationesque proinde continuaret, vel prona saltem ad easdem esset, naturae suae deprauatae conformes, fomitemque ita peccati in se retineret. Quum vero alia nos doceant sacrae S. oracula, fideles post mortem ab omni macula liberos praedicantia, alia certe vi, supernaturali nimirum, ab immunditie hac liberabuntur.

SECTIO III.

DE PROPAGATIONE PECCATI OR. NATVRALI.

Ratio sequen-
tium.

§. XXIII. De quo in genere adhuc differuimus peccato orig. cuiusque *sedem* tam *principem*, quam *secundariam* contemplati sumus, eiusdem nunc propagationem ad vniuersum genus humanum demonstrabimus. Experientia testatur, magnam in vniuerso genere humano adhuc hodie regnare corruptionem, et in omnibus semper hominibus post lapsum adfuisse hanc innatam corruptionem. Quaeritur ergo, quomodo propagetur haec ad mala inclinatio omnibus communis? Imitatio aliorum huic non satisfacit quaestioni, dum in tenerissimis infantibus eiusmodi ad omnia mala inclinationes iam videamus, priusquam alienos mores imitari discant; ergo alio hoc fieri debet modo. Si sacram scripturam consulimus, illa per generationem hoc malum ad posteros propagari naturaliter adfirmat. Illud ergo est, quod hac sectione demonstrabimus: peccatum nimirum orig. per naturalem generationem ad omnes homines, hinc a parentibus ad liberos propagari. Quum vero ipsa doctrina de generatione non solum hominis in genere, sed origine animae spectat, ad mysteria ita dicta naturae iure referatur, peccatum autem

autem orig. animae maxime inhaereat; plenaria et accurata huius propagationis, modique, quo fiat, demonstratio dari nequit, eamque expectare, credo, neminem. conf. REINBECKII *melet. in A. C. Tom. II. med. XXV. §. 19.* Sequuntur igitur sumus hac in demonstratione eum ordinem, vt primo actualitatem huius propagationis pecc. orig. per generationem ex manifestis S. S. oraculis ostendamus, atque demonstremus; *deinde* vero possibilitatem eiusdem ex veritatibus aliunde cognitis, huic doctrinae analogis, et comparando hoc dogma cum tribus de origine animae humanae hypothesibus, adstruamus ac vindicemus. Magnum vero illum dictorum S. S. gregem, qui pro stabilendo hoc dogmate adferri possunt, ita tractabimus, vt *primum primaria* illa testimonia, GEN. V, 3. ps. LL, 7. 10B. XIV, 4. 10. III, 6. occurrentia, in medium proferamus, atque explicemus; *tum* vero alia quoque dicta adiiciamus, quae secundarium in hoc dogmate probationum ordinem efficiunt; ex omnibus vero, quid ex illis demonstrandum sit? deriuemus.

§. XXIV. Quod primum §. XXIII. indicatorum oraculorum probantium locum obtinet, et a cuius explicatione initium facturi sumus, ex GEN. V, 3. desumptum est. Integra haec sectio continet nomina et generationes decem patriarcharum sic dictorum antediluvianorum, et de vita quorundam notatu dignissima tradit. Quumque adeo meram rerum factarum narrationem contineat, cur de anxia nexus oraculi nostri cum antecedentibus et subsequenter solliciti esse debeamus, non video; eidemque plane supersederemus, nisi ipse scriptor sacer initio huius capitis antecedentium meminisse nos iuberet. Nexus vero huius capitis cum antecedente hic est. Cap. IV. MOSES de posteris Adami promiscue loquitur, tam de illis, ex quorum semine corruptio totalis, aquarum inundatione demum delenda, orta est; quam de piis etiam Adami filiis, mandataque Dei, diutius saltem, quam illi, seruantibus: et postquam tristem illam inter germanos fratres rixam, et Kaini in specie deprauatum genus narrauerat, in fine demum Capitis ad Adamum reuertitur.

Setumque ipsi natum esse commemorat. Capite vero V, cuius partem nostrum oraculum constituit, propago tantum ab Adamo ad Noachum vsque indicatur, ex qua Messiam natum iri, a summo Numine constitutum erat; ideoque nouam quasi huic capiti inscriptionem addit, quod profapiam Adami narraret, tam notabilem, et ab iisdem, quorum mentionem Cap. IV. iniecerat, tam diuersam: quid? quod primam hominis constitutionem indolemque in memoriam reuocat lectoribus, vt ab omni culpa caussatae Capiteque VI. commemoratae corruptionis, piorum etiam, summum Numen liberaret, cuius ergo veram causam v. 3. huius capitis exponit.

Explicatio
propositionis
primae et ter-
tiae.

§. XXV. Accedimus ad comma ipsum 3, cuius explicati-
onem breuibus exhibebimus, quodque, si in sermonem latinum
transferatur, ita sonat: *Vixit autem Adam centum et triginta an-
nos, et genuit in similitudine sua, ad imaginem suam, scil. filium;
et vocauit nomen eius Set.* Tres, si hic versus resoluitur, perfe-
ctae propositiones in eodem occurrunt, quae etiam per tres ac-
centus distinctiuos in lingua sacra a se inuicem separantur. *Pri-
ma* est *historica* atque indicat tempus, quo natus est hic filius
Adamo: *altera* ipsam *probationem* dogmatis nostri efficit: *tertia*
denique, quae ad finem vsque versiculi extenditur, iterum *hi-
storica* est, nomen huic filio impositum indicans. Vti ergo *pri-
ma* et *tertia* *historicae* sunt, et ad probandam thesin nostram
parum faciunt; ita et vberiore earumdem explicatione opus esse
haud videtur, praesertim quum quae ad nexum huius versiculi
spectant, §o iam XXIV. prolata sint, idemque, quod C. XIV, 25.
vberius iam indicatum est, scriptor sacer et hic proponat. Versio
nostra, qua *τὸ ἴ* praefixum reddimus *aduersusitiae*, autem, nemi-
ni dubium mouere potest, qui nouerit, particulam hanc, vt et
αὐτῶν graecorum omnia connexionis genera indicare posse; hinc
vel *actiologicæ*, vel *aduersusitiae*, vel *intentionaliter* explicari, pro-
uti cuiusuis textus connexioni conuenientissimum est, hic vero,
si *aduersusitiae* sumamus, optime cum antecedentibus cohaerere.
Et si etiam transponere vellemus: atque, haec duo *verba* inter se
discre.

discrepare, *re* vero vnum sonare videntur. Conf. de part. hui. signif. 10. COCCEN *commentarium sermonis hebraici* p. 189. 190.

Ratio denominationis Seti, quae propositione versus nostri vitima exhibetur, e Cap. V, 27. explicanda et reddenda est; ex quo Euae sermone certo constare putamus, inter occisum Abelem, natumque Serum alios filios Eua non peperisse. Quamvis enim non negemus, alios post occisum Abelem liberos adhuc natos fuisse Adamo; hoc tamen de filiabus potius, quam de filiis intelligendum est, quoniam Eua haec de Seto pronunciare non potuisset, quod loco Abelis illum acceperit, si alii iam filii post necatum Abelem locum eiusdem occupassent.

§. XXVI. In *secunda propositione*, vt principali, euoluen- Explicatio
da duo notanda nobis sunt momenta: *subiectum* nimirum, et propositionis
praedicatum. Illud quidem expresse in commate nostro non secundae.
exstat, latet tamen simul in verbo: *genuit*, quod de eodem praed-
dicatur, de quo verba antecedentia prouunciata sunt, *Adamo*.
De hoc duo antecederet obseruanda nobis veniunt; *primam*,
quod initio, quum crearetur a numine propitio, factorem hunc
suum, pariter ac Eua, reculerit v. 1.; et pollebat ideo *sapientia*
ac iustitia, et *rectitudine in genere animae et corporis*. Si ergo
in hoc statu generasset liberos, nullum dubium est, quin et hi
hanc bene constitutam naturam ab eodem acceperint, quod
vero factum non est, licet tempus, quo hac imagine Dei pri-
maria gloriarentur, aliquot diebus circumscribi non possit, si-
lentium S. S. satis euidens hac in re perhibet testimonium. *Se-*
cundo, quod concreatam hanc Dei imaginem primariam, pec-
cato illo primo factorem suum laedentes, foedusque, quod inie-
rant, rumpentes, amiserint, longeque diuersam a primaria ac-
ceperint naturae suae constitutionem. Quum ergo liberos
postea genuit, genuit eosdem, non vt integer, qui non ampli-
us erat, sed vt corruptus peccatis, naturaeque deprauata dispo-
sitione laborans. His suppositis, ad ipsius praedicationis considera-
tionem progredimur; hoc rursus duplex est: *primam* partem
constituunt verba: *Adamus genuit in similitudine sua*. Vox
דמוֹת diuersas admittit explicationes, et significat, *vel similitu-*
dinem, vel similitudinem habens, vel speciem et formam, qui ta-

men significatus commode coniungi hic possunt. Sed hic rursus differunt inter se interpretes, et varie exponitur: *Alii* enim intelligunt de forma ac natura Adami, quae humana fuerit, quam secundum genus suum in liberos propagauerit, quemadmodum et de ceteris animalibus, pronuntiatur. v. c. *leonem, leonem, canemque canem*, et vnumquodque adeo in similitudine sua gignere, ita et Adamum in similitudine sua genuisse, id est, hominem, qualis ipse fuit: *alii* vero de animae praesertim imagine intelligunt; sed ita, vt de imagine *sanctitatis* et *iustitiae*, quae in Adamo primum fuerint, et adhuc reliquae fuissent, intelligant: *alii* denique de similitudine naturae Adami, vti post lapsum fuit, id est, *corruptae, peccatoque Orig. infectae*, hinc *iustitia originali priuatae* haec verba intelligant. *Prima* sententia nullo nititur fundamento, & garruli notam incurreret scriptor facer, si quid, vel notatu dignum, memoriae mandaret, quod nemo vnquam in dubium vocabit; Adamum nimirum filium ex Eua sustulisse, qui etiam fuerit homo. *Alter*a opinio valeret, si natus ipsi fuisset Setus, quum lumine imaginis diuinæ primariae adhuc splenduit, quod vero paulo ante remouimus. Firma ergo manet *tertia*, Adamum nimirum Setum genuisse in *similitudine naturae suae*, vti post lapsum ipsi remanserat, id est, *corruptae. concreataque iustitia destitutae* §. IX. quamuis *altera* quoque interpretatio in tantum coniungi cum hac *tertia* possit, si per imaginem diuinam parua illa pars residua imaginis diuinæ intelligatur, quae omnibus adhuc hominibus mansit, quae tamen cum *tertia* interpretatione necessario coniungenda est. Postulat hoc suffixum, quod huic voci adiectum est, quo respicere nos iubet Moses ad ea, quae, vti dixerat, hominem nimirum, quum creatus fuerit, in similitudine Dei factum fuisse: iam vero huic similitudini Dei opponit similitudinem hominis Adami, qua Setum genuit; ergo inculcare eo vult, Adamum, postquam corruptus fuerit peccato, in sua nunc, non vero Dei similitudine Setum genuisse, id est, *filium sibi similem, quoad naturam.*

§. XXVII. Altera praedicati pars: secundum imaginem Quae continetur et finitur.
 suam, ita suppleri debet: genuit Adam filium secundum imaginem suam. Duas enim illas voces, אָדָם et יָלַד, a se distingui debere, non accentus solum; sed et unicuique harum vocum adiectum suffixum וְ et praefixum בְּ et בִּי indicant; quum, si vnum idemque significarent, illud saltem reperendum non fuisset, et in regimine potius constituta essent, si coniungendas illas facer scriptor voluisset. Epexegeos vero loco יָלַד priori adiectum est, et per gradationem maius adhuc, quam illud indicat, similitudinem nempe ad archetypum expressum, vnde et a [LXX. senibus voce εἰκὼν imagine exprimitur. Quum ambas hasce voces et hic Moses coniungit, in memoriam lectoribus sine dubio vocare voluit, quae Cap. I, 26. iisdem, transpositis tantum verbis, dixerat, ubi Deus loquitur: in imaginem nostram, similitudinem habente, hominem faciamus. Huic ergo imagini diuinae hoc verbo imaginem hominis, hinc corruptionem et vitiositatem, per defectionem contractam, contraponit, Adamumque Setum secundum illam corruptam adfirmat, genuisse. Adamumque exemplar fuisse, ad quod formatus sit Setus; quae ergo in Adamo in illo statu inueniamus, maximam nimirum corruptionem, ea quoque pariter in Seto, simulac nascetur, fuisse; hinc ipsa natiuitate ad eundem translata; vt adeo simpliciter hac voce maximam conformitatem naturae ac corruptionis, quae fuit inter Adamum, eiusque filium, ipsa generatione in hunc transuetam indicare, priusque adfertum similitudinis hac adiectione corroborare adhuc voluerit.

Friuola sunt, iudaicamque, si quidquam aliud, certe haec sapientum superstitionem, quae quidam Iudaeorum in hunc locum commentati sunt doctores: Adamum nimirum per integros centum et triginta annos post lapsum, Kainumque et Abelem natum, ab Eua separatum cura alia foemina rem habuisse, diabolosque ex eadem sustulisse, vt et Eua ex coitu cum diabolis diabolos pepererit; ideoque, quum Euam inuenierit rursus, natusque ipsi esset ex hac conuulgente Setus, Mosen adposuisse, quod hic rursus imaginem Adami tulerit, quamuis alii per diabolos, procreatos ab Adamo, impios homines, et in specie Kainum, eiusque prolem deperditam intelligant; quod quidem mendacium ipsae Adami
 chron-

chronologiae aperte contradicit. Ratio vero, cur Moses haec adiecit, haec fortasse reddi potest; quod non solum v. 1. imaginis diuinæ expressam iniecerat mentionem, cui hanc contraponit §. XXVI; sed Serum etiam ad familiam, ex qua Messias venire debebat, nouerat pertinere adeo notabilem. Quum vero Abelus sine prole discesserit Kainique vitia de natura ipsius iam testarentur, ideo, quum de illis loquitur, forte non adiecit hanc propositionem.

Nexus oraculi
secundi Ps. 51,
v. 7.

§. XXVIII. Accedimus ad *secundum oraculum §. XXIII.* ex ps. LI, 7. desumptum. De auctore huius et aliis circumstantiis certiores nos facit totius huius Psalmi inscriptio v. 1, 2. Conferenda ideo cum hoc Psalmo sunt, quae 2 SAM. XII, 1-25. leguntur; dum vberiorem eius, quod Dauides, praesente Natane v. 13. dixerat: *peccauit contra Dominum* explicationem continere videatur. In duas integer Psalmus partes diuidi potest, licet maxime inaequales: quarum prior a v. 3. vsque ad v. 19. extensa est, altera v. 20. 21. efficitur: et uti priorem partem constituit gratiae ac condonationis petitio, ob ingens duplexque a se commissum peccatum; ita v. 20. 21. salutem totius ecclesiae Iudaicae Deo commendat. In submissa gratiae diuinæ petitione, ad quam et noster versiculus pertinet, post praemissam inuocationem Dei v. 3. rem, quam petit, tam *generatim* exprimit v. 3. quam *prolixius* hoc petitum exponit, et ad id tam propriis verbis v. 3. hemistichio secundo, quam impropriis expressionibus v. 4. vsus. Huic petitioni motiua addit Dauides, quorum *primum* desumptum est a peccati huius eiusdemque atrocitatis agnitione v. 5. *alterum* a confessione eiusdem & obiecti, per idem laesi, ipsius nimirum Dei, qui adeo solus condonare ac remittere possit hoc peccatum v. 6. Cui denique tertium addit, quo misericordiam diuinam erga se excitare vult, desumptum ex naturali sua miserie, secundum quam peccatarum, et procliuitas ad eadem, per ipsam generationem ad ipsum translatum sit. Per hanc ergo connexionem primario hic locus de naturali agit corruptione, quumque vates noster adfirmit, se hac corruptione infectum iam fuisse in vtero materno, hinc a primo existendi initio, de propagatione huius mali

mali per generationem satis evidens exhibet testimonium.

§. XXIX. Contemplemur nunc dictum ipsum v. 7. cuius ^{Explicatio} ^{propositionis} ^{primae.} versio latina haec est: *Ecce! in iniquitate formatus sum et in peccato calefecit me mater mea.* Complectitur hic versiculus duas propositiones: primam constituunt verba: *Ecce! in iniquitate formatus sum.* Particula *ecce* in genere adverbium demonstrandi est, aliquid nimirum adesse, quod adspici debeat; praecipue vero vsi sunt hac particula viri sancti, si rem vel veritatem designare voluerunt, omni animi consideratione dignam, certamque, cui vsui et hodierna adhuc loquendi ratio fauet ES. XII, 2. GEN. XXVIII, 14. ps. LI, 8. vt ergo haec haec loco huius vocis vis adsumi debeat: Adspice, quaeso, Deus, ac considera, quum iudicare me, poenasque infligere mihi velis, haec, quae ad excusandum memetipsum prolaturus sum. *Subiectum* et hoc loco vti §. XXVI. in verbo simul contentum est, & quum Dauides de semetipso loquatur, conferenda sunt, quae §. XXVIII. de statu, quo cecinit Dauides hunc Psalmum, protulimus. *Praedicatum* vero huius primae propositionis constituunt verba: *formatus sum in iniquitate.* Verbum, quo vitur vates, descendit a radice *הוה*, quae in genere in animatis rebus notat *dolere ob aliquam rem* IER. V, 3. THREN. V, 6. et aliis, ex qua rursus significatione descendit alia *expectare* et *desiderare*, quoniam cum expectatione et desiderio rerum praesertim bonarum coniunctum solet esse taedium ob moram huius boni futuri; tum vero speciatim haec vox dicitur de cruciatibus ex partu ortis, vbi vel vsurpatur *transitiue parere facere* ps. XXIX, 9. vel *intransitiue* etiam, *parere*. Per metaphoram denique notat *latius omnem productionem et formationem*, quo sensu et de ipso Deo adseritur; hinc et de *productione* et *formatione infantis in utero materno* adhiberi potest, cum dolore haud minus matris coniuncta; qui quidem significatus cum illo, *parere* arte, satis cohaeret, si tantum *consequens pro antecedenti* et partum ipsum pro formatione infantis positum esse adsumamus; quod adeo frequens est sacris scriptoribus,

bus, vt lateres lauaremus, si exemplis illud corroborare velle-
mus, hic vero significatus ob comma sequens, retinendus hic
est. פָּרַח huic verbo adpositum descendit a radice פָּרַח , quod in
genere *perperam agere*; et in piel *depravare, prauum facere*, si-
gnificat; vnde et hoc nomen prauitatem, et in specie *prauita-
tem moralem* designat; recto oppositum, est ergo idem ac non
rectum et peccatum. Quod huic nomini adiectum est בְּ sac-
pissime quidem dicere solemus latine *in*, qui et significatus ex
innumeris S. S. locis deriuari potest; imo et praecipuus est:
non raro tamen quoque idem est ac *cum* latinorum, vti legi-
tur GEN. XXXII, 11. *transit cum virga* EX. VIII, 13. X, 9. et
multis locis aliis, de quibus confer IO. COCCENVM p. 74. et hic
significatus huic loco non incongruus est. Vti ergo iubentur
CANT. III, 11. filiae Israelis adspicere Salomonem cum corona;
vel corona indutum, ita hic locorum Dauides queritur, se,
quum adhuc formatus esset in vtero materno, prauitate iam la-
borasse morali, eaque indutum quasi fuisse, Deumque preca-
tur, vt adspiciat sese animo miserabundo, stimulum iam, quum
incomposita adhuc massa fuerit, ad omnia peruersa in semet-
ipso habentem COL. III, 9. ROM. VII, 24, EBR. XII, 1. 2.

Explicatio
propositionis
secundae.

§. XXX. Altera, quae priorem hanc excipit, propositio,
haec est: *et in vel cum peccato calefecit me mater mea.* *Sub-
iectum est mater mea*; quaenam vero haec fuerit, scriptum
in libris diuinis nobis relictum non est, nullamque huic loco
adferret, si sciremus, claritatem. Intelligit vero Dauides ma-
trem suam, ex qua immediate natus erat, non vero Euam, de
quo intelligi vult haec verba CLEMENS ALEX. STROM. L. III. p.
m. 469 quum ipsum huius propositionis praedicatum non al-
lium, quam de matre immediata, sensum admittat. Ad hoc
praedicatum quod attinet, radix פָּרַח in genere significat *ca-
lere* DEVT. XIX, 6. I REG. I, 1. tunc vero, vt antecedens pro
consequenti ponatur, specialem aliquem modum incallescendi
denotat, et idem est, ac *concupere* GEN. XXX, 39. *incalcebant
oues*, vel *calore coitus excitatae*, *concupiebant* GEN. XXXI, 10.
In

Iniel vero, quae et hic adest coniugatio, significatum habet actiuum *calescit*. Hae duae notiones si coniungantur, vti debent, hic sensus est: *mater mea concepit, calescit et ita gessit me in vel cum peccato* §. XXIX. Confirmat ergo Dauides hoc oraculo actualitatem peccati orig. Confitetur, in prima sui conceptione, quum ne formam quidem induisset humanam, peccatum in se iam adfuisse, et ad malum inclinationem, et hinc a parentibus in se transmissam; natum ergo reuera se confitetur peccatorem.

Quod quidam contra hunc locum quaesierunt effugium, Dauidem nimirum accusare parentes suos, et loqui de eorum peccatis in generatione actiua commissis, nullum plane locum habet, et euanciscit, si nexus huius oraculi §. XXVIII. inspicitur, ex quo patet, Dauidem in toto hoc Psalmo vsque ad versum 19. non de alieno; hinc nec de parentum suorum in specie, sed de suo ipsius peccato loqui, eademque confiteri v. 5. 6. et v. 9. vnde, per omnes hermeneuticae regulas, etiam hoc versu Dauidem de suo peccato, non vero alienis parentum suorum conqueri colligimus. Et, si etiam adsumamus, Dauidem de parentum suorum in generatione actiua commissio loqui peccato; necessario tamen, nisi totam huius Psalmi connexionem §. XXVIII. negare volunt, statuendum etiam esset, haec parentum suorum peccata, in generatione actiua commissa, eum in animum naturamque Dauidis habuisse influxum, vt haec ipsa eo corrupta sit, nisi Dauidem vana erga Deum verba protulisse velimus: quod quidem aliquo forte modo nostrae consentaneum esset sententiae; nostram saltem non dirueret interpretationem,

§. XXXI. Progredimur ad oraculum *tertium* ex IOB. XIV, 4. citatum §. XXIII. Secundum nexum eiusdem pars hoc dictum est proluxae satis responsionis a Iobo contra accusationes Zopharis datae. Uti ergo hic Iobi inscriptus liber maxima ex parte, Iobi cum amicis suis complectitur disceptationes, quas pro diuersis cum iisdem congressibus dimetiri solemus: ita caput, ex quo nostrum dictum prolatum, ad primum inter eosdem conflictum a Caput IV. XIV. se extendentem, et ad Iobi in specie sui ipsius defensionem pertinet. Cap. XI. Zopharus Iobi fidem non solum in dubium vocauerat; sed duris certe etiam verbis puritatem illius a peccatis grauioribus impugnauerat

rat v. 9. vnde etiam occasionem nanciscitur, poenitentiam Iobo suadendi. His accusationibus Iobus multis verbis et rationibus, quae in tria capita XII. XIII. et XIV. diuiserunt sectionum a se distinctarum auctores, respondet. Post praemissum huic responsioni *exordium* Cap. XII, 1-3. ipsam orationem tribus absoluit partibus. *Priori* defendit thesin suam a Zophare haud recte intellectam de regimine diuino, et immittas praefertim piis calamitates non semper testes esse perpetratorum ab ipsis facinorum Cap. XII. *Alteram* constituit amicorum in genere, et Zopharis speciatim reprehensio, qua culpam, quam ipsi imputauerant, in caput eorum regerit Cap. XIII. v. 1-16. *Tertia* denique huius defensionis parte nouum sermonis sui obiectum constituit, et cum ipso Deo sermonem miscet, vel preces potius, et deprecationes ad eundem fundit. Huic denuo praemittit *exordium*, quo amicos ad audiendum sermonem suum excitat v. 17. 18. quod ipsae preces v. 19. seu disceptatio cum Deo sequuntur: ad nouum enim hoc versu obiectum sermonem suum dirigere Iobum, contextus satis indicat. Confugium vir sanctus mox quaerit in precibus, et in specie ne manum ipsi aggrauet, v. 10. et tum etiam, ne maiestate sua eundem terreat ac consterneret v. 21. 22. His precibus addit argumenta confirmantia, quorum *primum* est, quod nullorum contra conscientiam sibi metipsum conscius sit peccatorum v. 23. hinc, quod cum diuinis comparare non poterat perfectionibus, Deus ob peccata tantum infirmitatis tam graui ipsam adiciat castigatione; *alterum*, quod communi hominum miseria ob defectus inuoluntarios satis iam castigetur, quarum calamitatum descriptionem profert a v. 24. Cap. XIV, 1. 2. ex quo ad semetipsum reuersus, calamitates suas nimis graues, queritur: *tertium* denique Iobus desumit ab ea hominum omnium naturali conditione, qua impossibile sit, illos puros esse, nullisque infectos esse sordibus. Quis ergo non videt, Iobum de nulla re alia versu nostro 4. loqui, quam de congenito omnibus mortalibus peccato? et quum diserte, ex homine corrupto, vel impuro

impuro purum ortum ducere non posse, adfirmet; testimonium certe de propagatione huius miseriae per generationem naturalem omni dubitatione matus habemus.

§. XXXII. Latine si redditur hic locus, ita se habet: *Propositio eius prima explicatur.*
Quis dabit, vel constituet mundum ex immundo? Non vnus, vel nemo. Comprehendit hoc dictum duas propositiones; interrogationem et ad hanc directam *responsionem*. De interrogatione notandum est, quod ad ipsum Deum directa sit, quo cum et v. 3. loquutus erat Iobus; prouocat ergo ad ipsam Dei cognitionem, cui certe nihil absconditum esse poterat; excludit vero ipsum etiam Deum, cui certe, quod ex natiuitate Christi hominis pater, impossibile non erat, quod tamen esse Iobus adfirmat. Loquitur ergo Iobus de eo, quod sit et fieri potest naturaliter. Ad verba ipsa quod attinet; vox *quod* signum est existentis hic interrogationis: signum praeterea est vniuersalitatis, quod et in aliis linguis eiusmodi esse solent interrogationes, et tam late sumendum est, quam nexus et praedicatum id admittunt; hinc in specie ad totum genus mortale et omnes creaturas hic extenditur, et Deum tantum excludit *quod* dabit idem est, ac *existere faciet*. Si hoc verbum cum *particula interrog.* *quod* ponitur, saepissime quidem idem quoque est, ac *particula optandi*. *Primum* IOB. XXIII, 3. XI, 5. qui tamen sensus ob subsequenter *responsionem*, sensum negatiuum requirerentem, locum inuenire hic non potest: vsurpatur vero etiam, si cum *quod* praefixo in voce sequente construitur, *de generatione liberorum ex parentibus* GEN. XVII, 16. quae et hic notio per connexionem retinenda est, et respexit sine dubio Iobus ad v. 1. *quis sisset?* I SAM. XVII, 10. *quis efficere potest, vt nascatur?* *quod* mundus, purus pronunciat, vt *καθαρός*, de vnaquaque re, alieno, hinc et fordibus carente; vnde et de auro dicitur, quod purum sit, vel non mixtum vilioribus metallis. De homine hic intelligendum est, quod ex v. 1. rursus discimus: et si de homine vsurpatur, non physicam, sed *moralem* potissimum notat puritatem HAB. I, 13. ps. LI, 12. hic ergo *bonus*

minem, peccatorum sorde non adpersum; unde et oppositi huius verbi *ἁγίου* significatio determinanda est, quod quidem de physice etiam impuro adhibetur, LEV. V, 2. non minus tamen de impuro *moralis sensu* saepissime usurpatur ES. XXXV, 8. VI, 5. et in specie frequentissima in N. T. haec huius verbi notio est, ubi per *ἁγία Πνεύματα* transponitur 2 PETR. V, 20. AP. XVI, 10. hic vero tam puritatem, quam impuritatem *moralem*, non vero *physicam* potissimum, ut SOCINIANI volunt, intelligi, versus 3. satis declarat, quum impuritas physica in iudicium Dei ut rea non adducatur. Vti ergo ab impuro physico, ut leproso, a lepra liber non nascitur; ita et cum impuritate morali comparatum esse Iobus pronunciat, praesertim cum illa, de qua hoc versu loqui §. XXXI. demonstrauimus.

Explicatio
propositionis
secundae.

§. XXXIII. Et haec quidem interrogatio sufficiens iam negationis signum fuisse; quum interrogationes eiusmodi vim habere soleant negationis. Sed expresse adhuc, quid sit mens sua? adiicit, et sibi metipsum scriptor respondet: *Non vnus, nemo.* Diuersimode et haec breuis responsio explicatur; dum alii has voces, ut continuatam interrogationem et sermonem strictissime ad Deum directum considerant, ita: *Nonne tu solus? o Deus!* unde et vulgata versio ita haec expressit; *nonne tu, qui solus es?* quae quidem interpretatio intentioni loquentis, et nexui sermonis haud quaquam consentanea est, ex timore tamen, ne quid de Deo negetur, quod efficere potest, et effecit, ortum duxisse mihi videtur. Alii has voces in oppositione ad multos accipiunt, *vnum multos puros efficere non posse*, quod vero pariter falsum est, dum hac ratione concedendum tamen esset de aliquibus. Nos ergo illi expositioni subscribimus: *Non vnus, nemo hoc efficere potest, mundum nimirum constituere ex immun-* do. Quod enim quidam Iudaei suppleunt: *nemo est, qui purus sit*, aliter conceptam requireret interrogationem, ita: *Quis purus est? Dicit ergo Iobus hoc dicto: quomodo is, qui ortum ducit, vel nascitur ex impuro, purus esse ipse potest? neutiquam;* dum haec corruptio et impuritas ad ipsam etiam sobolem permeabit.

Adie-

Adiecerint ad hunc etiam locum aliquid LXX. fenes in versione sua, uti multa in genere huic libro inferuerunt. Verba adiecta haec sunt: *ἐὰν καὶ μὴ ἦμαρ ἐὶς ἑὸς αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς*; quae etiam verba a CLEMENTE citantur ALEX. STROMAT. L. III. p. 468. quae si in textu etiam hebraico essent, non parum roboris nostrae adferrent demonstrationi, dum certe de actualibus peccatis sermonem hic esse plane remouerent. Testimonium interim exhibent, quidnam antiquissimi Iudaeorum de peccato orig. statuerint, eiusdemque propagatione §. VII. quod et testimonium R. IEHVDAE testatur, qui interrogatus, *quando signentur malum in homine detur*, respondit: *ab hora, qua formatus est*; quod testimonium pariter exhibet RAYMONDI MARTINI *pugnatus fidei* p. 580. Si vero quibusdam tota haec ex hoc dicto demonstratione de propag. peccati orig. per generat. naturalem haud firmo talo niti videretur, quod ipsa huius libri fides canonica negari posset, auctoritasque sermonum commemoratorum, illi velim discernant a se inuicem sermones ibi narratos Iobi, et amicorum eiusdem. Horum trium priorum praecipue, nemo facile ita adprobabit, ut demonstrationem inde defumat veritatum diuinarum, qui potius, ut cum AVGVSTINO loquar, *lectorem desiderant, qui nouit sapienter dicta discernere. Lib. ad OROSIVM Cap. IX.* Illis vero, Iobi ipsius sermonibus, cur non ita uti queamus, ut veritates inde perscrutatas diuinitus deriuemus ac probemus, non video, quum cum in finem a viris etiam *θεοπνευστοῖς* V. et N. T. citentur, et ipse Deus Iobi sermonem adprobauerit Cap. XLII, 7. Videatur de utroque *CARPZOVII Introductio in Libros Canon. V. T. P. II. p. 49-51. §. VIII. et §. XIII. p. 64. seqq.*

§. XXXIV. Quae remotiue, terminisque negatiuis, de propagatione huius corruptionis adseruerat Iobus, eadem huius generis reparatur clarioribus adhuc verbis adfirmatiue de eadem proponit io. III, 6. cuius ergo adhuc addemus explanationem. Caput hoc III. duas potissimum partes continet. *Prima* a v. 1-21. colloquium notabile Christi cum Nicodemo. *Alter*a manifestatio gloriae seruatoris describitur, et testimonium inprimis Ioannis de illo narratur. Pars prior, post narratam colloqui occasionem, aduentum nimirum Nicodemi ad Christum in tres rursus dispesci potest partes minores, quum tripliciter constet quaestione et responsione. *Prima* exhibetur v. 2. 3. et continet propositionem doctrinae cuiusdam scitu necessariae; quam proponebat Christus, quod videbat, hoc idem esse,

esse, quod Nicodemus scire volebat, quamuis, vel pudore, vel timore deterritus Nicodemus, eandem nondum protulisset. *Secundam* partem efficiunt v. 4. 8. et vberiore partem prioris continent explicationem: quam deinde *tertia* sequitur v. 9. 21, in qua plenior mysteriorum regni Dei occurrit explicatio. Nos animum in parte huius colloqui secunda occupatum habentes, ad eandem reuertimur. Haec duabus rursus partibus absolvitur, altera quaestione Nicodemi v. 4. altera Christi responsione v. 5. 8. Hanc seruator ita proponit, vt tam id, quod v. 3. dixerat, repetat, adhibita tantum propositione clariore v. 5. tum vero hanc thesin argumento confirmet, v. 6. dubiumque denique remoueat, ab impossibilitate huius dogmatis in animo Nicodemi enatum. In nostro ergo commate thesin suam de necessitate regenerationis confirmat argumento. Hoc, eiusque momentum si recte perspicere volumus, finem ob oculos ponamus, necesse est, quare Christus illa adduxerit? qui eo tendebat, vt necessitatem regenerationis demonstraret Nicodemo; vnde ita concludit: Quoniam omnes, qui ex carne, id est, hominibus peccatoribus nascuntur, etiam caro sunt, id est, vt peccatis inquinati nascuntur; ideo regnum coelorum si videre volunt, noua opus habent generatione. Vnde satis euidens est, ex scopo suo Christum de propagatione huius mali per generationem loqui.

Ipsa eiusdem
explicatio.

§. XXXV. Duas in hoc dicto: *Quod genitum est ex carne, caro est, quod vero genitum est ex spiritu, spiritus est*, habemus propositiones. Prior est: Quod genitum est ex carne, caro est. Subiectum eiusdem constituit propositio completa: quod genitum est ex carne. Vox *καρξ* in N. T. adhibetur 1. de corpore humano 10. I, 19. 2. de partibus in specie mollioribus, ossibus oppositis. 1 COR. XV, 39. 3. de cultu externo Leuitico V. T. qui rebus ritibusque maximam partem carnalibus occupatus erat. ES. XL, 6. EBR. X, 13. GAL. III, 3. 4. de corrupta etiam hominis natura. EPH. II, 3. GAL. V, 19. COL. II, 18. qui significatus ex V. T. ORIGEN. VI, 3. obtinuit, tum ob
ipsum

ipsam huius mali originem ex generatione carnali vs. LI, 7. GEN. V, 3. tum quod ipsa et caro instrumentum, et scaturigo huius corruptionis euadat §. XXI. Prior et secundus significatus hostibus doctrinae de peccato orig. maxime arridet; vnde ita intelligunt, *nihil nisi hominem gigni ex homine* §. XXVI. At vero huic explicationi non solum maior inde, si de pecc. orig. explicatur, enata emphasis §. XXXIV. aduersatur; sed in commate nostro necessario corruptum hunc hominis statum denotare debet, quum spiritui opponatur, per quem spiritualis vita §. XIX. intelligitur; et caro, quatenus corruptionem naturae sub se comprehendit, spiritui opponatur §. XIX. Manet ergo hic ille de corrupta hominis natura significatus, quamvis negari non possit, Christum etiam ad tertium significatum respexisse, cui in specie circumstantia obiecti patrociniatur. Nati ergo ex carne sunt vel speciatim Israelitae, circumcisionis in carne, quae procul dubio, quatenus sacramenti locum obtinuit inter Israelitas, respectum ad hanc corruptionem natiuam, eiusque propagationem per generationem naturalem habebat, participes; vel secundum quartum melius significatum, omnes per naturam suam homines, quum omnes homines tam renati, quam irregenti gignant sobolem, non qua renati sunt, sed secundum naturam suam, vt homines corrupti, vnde nec sanctorum liberi ab hoc numero excludendi §. XXXVII. Praedicatum, quod de his pronunciat Christus, *quod caro sit*, ex antecedenti carnis circumscriptione explicandum est; dicit ergo saluator, quod hieriam corrupti sint per peccatum, et naturam a parentibus suis corruptis corruptam acceperint. Prudenter autem Christus non dicit: *habetis vt* hoc indicaret, natos ex carne non demum alienis moribus eorundemque imitatione corrumpi ac deprauari; sed simulac nascantur, hunc quoque insitum ipsis esse defectum, et ipsa proinde generatione ad ipsos deferri. En itaque apertum de propagatione pecc. orig. per generationem naturalem testimonium! Alteram huius commatis propositionem, quum ad dogma nostrum demonstrandum nihil faciat, praetermittimus. §. XXXVI. Explicatis ergo hucusque a §. XXIV-XXXV.

ammonstra
ol ex nundre
omniq. m

Connexio cum
sequentibus.

F

oracu-



oraculis illis, inter ea, ex quibus dogma nostrum probandum est, agmen ducentibus; alterum, quod secundum §. XXIII. efficiendum adhuc est, sis aliquot tractabimus: argumenta nimirum ipsa, quae stabiliendae doctrinae nostrae inferuiant, indicaturi; quod quidem eo breuius fieri posse putamus, quo clariora ipsa oracula sunt, ex quibus thesin nostram deduximus adhuc, vt principis, stabilitis. Ea de causa e singulis locis argumenta, ad probandam thesin nostram sufficientia, deriuabimus, & inde veritatem dogmatis nostri adstruemus.

Argumentum
primum ex lo-
co primo,

§. XXXVII. Primum argumentum suppeditat nobis dictum ex GEN. V. primo loco §. XXIV. XXVII. explicatum. Ex data ibidem explicatione repetimus 1. quum Adamus gigneret, priuatus erat concreato initio lumine imaginis diuinæ primariae §. XXVI. quamuis vere Deum et post lapsum timeant ambo parentes. GEN. IV, 1. 2. Similitudo et imago Adami ibidem v. 3. opponitur imagini diuinæ v. 1. hinc defectum eiusdem indicat; quum ante habuerit. IOB IV, 21. EPH. IV, 24. GEN. I, 27. Imago Dei consistebat in iustitia et sanctitate, et sapientia originali; hinc Adamus genuit defectu laborans iustitiae originalis et sanctitatis et sapientiae, hinc, quod ex hac parte fuit, habitu pollens peccandi §. VI. et aliam adeo, quam priorem, habens naturam. Quum ergo Adamus genuit filium, similem sibi ipsi, genuit illum secundum conditionem naturae suae, id est, filium genuit, similem naturam habens, quam Adam; vel similem ad ipsum transtulit naturam, quam ipse habuit, quum naturam accipiamus a parentibus. Quumque, vti iam indicatum est, Adami natura corrupta esset; Setus corruptam ab Adamo accepit naturam, qualis Adami fuit. Et quid hoc aliud est, quam: Serus natus est cum peccato orig.? vel P. O. per generationem naturalem transuectum est ad Serum? Eodem modo, quo Setus, genitus sine dubio fuit Kain, cuius facinus horrendum, quod certe a nemine ante se didicit, de natura et anima illius corrupta satis testantur, & quaenam peccati Orig. effectus esse possint, illudque porro verbum inane non esse, docet omnes. Imo etiam, quod de Seto hic loquitur scriptor sacer,

cer, id et de posteris Serii, et in genere de omnibus ab Adamo fatis pronuntiandum est. Non aliter enim genitus est Setus, quam omnes hodierno quoque die homines nascuntur, sine fide Dei que timore: omnes enim a parentibus nascuntur, Adamo similibus, hinc nec meliorem ab illis naturam accipere possunt, quam Setus ab Adamo. Hinc ad omnes homines peccat. orig. per generationem naturalem transfertur. Et quum denique, per modo dicta, Adamus pariter ac Eua, quum gignerent Setum, conuersi rursus essent ad Deum, eumque vere timerent, et sobolem tamen procrearent, naturae eorundem corruptae similem; quae enim per Spir. S. accensa in ipsis fides erat, non ad naturam eorundem pertinebat; sed supernaturale quid illis erat; nullos proinde liberos, a parentibus licet, per Spir. S. regeneratis, ortos praerogatiua hac in re, quod quidem ad essentialia huius corruptionis spectat, gaudere prae aliis, a parentibus impiis natis, inde liquet; hinc etiam hanc propagationem peccati orig. per generationem naturalem maxime esse vniuersalem. Conf. de hac distinctione V. S. V. PRAESID. theol. moralem §. XLVIII. in nota; vt et REINBECKII *meletem*, in A. C. Part. II. Medit. XXV. §. XI.

§. XXXVIII. Ad secundam me confero probationem, ex dicto Dauidico, ps. LI, 7. §. XXVIII. XXX. illustrato, desum-
 tam. Et hic quaedam supponimus et repetimus. 1. Dauidem de proprio conueni peccato, non de alieno vt parentum §. XXX. nota. 2. non tamen loqui de peccatis actualibus, quae certe in utero materno parare nondum potuit, dum adhuc formaretur in eodem: tunc enim dixisset potius, peccaui ego, cum conciperer ac formarer. 3. profert haec verba Dauides sine hyperbole, quam post alios sectae suae defensores, CYRCELLEVS hic fingit *lib. de iure Dei contra Amyraldum*; sed sine ratione, quum summa Dauidis ob commissa facinora, tristitia, angorque animi talem loquutionem rhetoricam non admittant, et contra regulas hermeneuticas, quae, ne a sensu litterali sine necessitate, quae certe hic non adest, recedamus, requirunt. Et frontem denique 4. hic aperit, ex quo commissum a se adulterium et caedes promanauerint, et hanc corruptionem innatam ipsi, ac naturalem proinde esse, profiteatur.

F 2

Quid

Quid hinc sequitur? Dauides adserit, se in prima conceptione ac formatione fomitem eum peccati in se habuisse; adfirmat, peccatorem se iam fuisse in utero matris, quum tamen de peccatis actualibus non loquatur? nihil aliud, quam ipsam embryonis massam in primo conceptionis ardore, eiusdemque formatione peccatis iam fuisse contaminatam, staminaque prima, ex quibus ortus fuit Dauides, fuisse corrupta, et ipsum proinde peccatum corruptamque naturam a parentibus ipsius in eundem traductum, vel quod §. XXXVII. iam adstruximus, peccatum orig. per ipsam generationem naturalem in se translatum fuisse, conueniri Dauidem. Quod enim nobiscum simul oritur, id connatum nobis esse iure pronuntiatur. Iam vero a Dauide, quum ipse haec de se adfirmer, iure ad vniuersum genus humanum concludere possumus; qualis enim fuit conceptio et formatio Dauidis, non aliter a parentibus suis procreati, quam uti naturae ipsorum conueniens fuit, quae vero, vel probi fuerint vel improbi, corrupta erat, §. XXXVII; talis etiam omnium adhuc hominum est fuitque conceptio ac formatio. Vnde recte ex hoc dicto concludimus. Quicumque a prima sua conceptione et formatione in utero materno peccato iam infectus fuit, illi peccatum est congenitum: Iam omnes naturaliter procreati homines, uti Dauides, a prima formatione peccatis iam infecti sunt; E. omnibus hominibus est congenitum; id est, peccatum ad omnes homines per generationem naturalem propagatur, et omnes adeo nati euadunt peccatores §. XXX.

Argumentum
aerium ex di-
cto tertio.

§. XXXIX. Sequitur tertium principium, quod nobis dictum Iobi C. XIV. 9. suppeditat §. XXXI-XXXIII. Praemitimus et hic propositiones quasdam, quarum veritas aliunde iam certa est. 1. Omnes homines sunt natura sua impuri §. II. 2. impuritas Iobi indicat impuritatem, non physicam, sed moralem §. XXXII. homo ergo impurus idem est, ac peccatis inquinatus. 3. Homines si procreant liberos, gignunt eosdem secundum corruptam eorumdem naturam §. XXXVII. 4. quod sensus dicti citati sit: impossibile est, ut is, qui ortum ducit ex impuro, purus sit §. XXXII. XXXIII. Vnde ita rationes nostras subducimus. Omnes mortales, ab Adamo descendentes, sunt impuri §. XI. hinc

et

et omnes, qui procreant liberos. Per dictum nostrum purus ab impuro ortum trahere ac nasci non potest; ergo impurus. Impuritas omnibus hominibus communis, est pecc. orig. Si ergo ab eiusmodi impuris liberi nascuntur, haec etiam impuritas pecc. orig. ad ipsos transferatur per ipsam generationem, necesse est: et non aliter nasci possunt, quam impuri, uti eorum sunt parentes. Ergo pecc. orig. ad omnes homines, qui nascuntur, quum omnes ab impuris parentibus descendant, per generationem naturalem propagatur, indeque ipsis omnibus commune est. Et hae sunt illae sordes, quas Iudaei fabulantur Euae, a serpente, quum cum illo familiarius conuersata fuerit, infusas, quibusque omnes postea populi infecti sint conf. 10. ALB. FABRICH *Codex epigraph. V. T. P. I. p. m. 70.*

§. XL. Idem, quod tertia iam vice §. XXXIX, demonstrauimus dogma, ex ultimo §. XXXIV. XXXV. explicato loco probare adhuc, si longiores esse vellemus, possemus. At vero, quum hoc dictum cum illo ex IOB. XIV. §. XXXIX. citato admodum conspiret, et adfirmatiue tantum idem pronunciet, quod ille negatiue iam dixerat, hoc labore omni iure superfedere possumus. Meminerimus tantum, carnem ibidem nihil aliud primario esse, quam naturam hominum corruptam, hancque abstractiue rursus positam esse pro homine carnali, peccatoque orig. infecto §. XXXV. vnde dogmatis nostri probatio pleno alueo ex dicto hoc ultimo fluat.

Argumentum quartum ex dicto quarto indicatur.

§. XLI. Propagationem ergo naturalem peccat. orig. per generationem in sacra scriptura fundatam esse, per ipsam ex dictis citatis demonstrationem factam satis vindicasse putamus. Finem ergo imponere huic demonstrationi possemus, reliquaque intacta relinquere loca, quae itidem ad probandam hanc doctrinam in medium solent proferri. Quoniam tamen et haec, nisi quoque plenarie demonstrent hanc thesin, multum eidem lucis affundunt, eandemque illustrent saltem: non possumus, quin et illa secundum §. XXIII. adducamus saltem, et quid ad corroborandam thesin nostram faciant, ex iisdem deriuemus; quae quidem argumenta *secundi ordinis* vocamus.

Nexus sequentium.

Argumentum
primum secundarium.

§. XLII. Dictum Mosaicum atque querela nomine Dei de maxima hominum illius temporis corruptione C. VI, 5. prolata, primum constituit argumentum. Veris coloribus ibi depingit scriptor facer ingentem illius aevi hominumque antediluvianorum, maxima saltem ex parte, nequitiam; omni peccatorum actualium genere maculatorum. v. 3. 4. et innitio v. 5. quo et ad maiorem peccatorum gradum ascendisse eosdem adfirmat. Huius corruptionis fontem aperit Moses propositione commatis nostri secunda, quod omne sumentum cogitationum eorumdem tantum malum sit *omni die* id est C. VIII, 21. a pueritia, a prima ipsorum infantia et si sensu rigorissimo sumimus, quod fieri debere puto, a primo die, quo existere coeperunt, hinc a prima formatione. §. XXXVII. Quamvis eo minime causam agat hominum, quum medelam contra hos carnis fructus indicet v. 3. ab hominibus tamen repudiatum, spiritus nimirum S. castigationem. Respexisse vero in commate nostro videtur ad corruptionem praesertim facultatum animae superiorum, et voluntatem in primis voce cordis, intellectum vero voce cogitationis indicasse, et quum cogitationes cordi adscribat, inordinatam relationem eodem intellectus ad voluntatem; illumque sub huius dictamine et imperio esse, denotasse: ROM. VIII, 7. His praestructis, sequentem necimus ex hoc dicto conclusionem: cuius omnes cogitationes a prima infantia, quum ergo malum nondum didicit, imo a primo existentiae tempore (per sup.) tantum mala sunt, et qui malum tantum cupit cogitatque, illi peccatum est connatum §. XXXVIII. et hinc ipsa generatione, quam alius ortus indicari plane nequeat, ad eundem transmissum: atqui omnis hominis cogitationes; in specie C. VIII, 21. Ergo peccatum ipsa generatione ad eosdem transmittitur.

Argumentum
secundum secundarium.

§. XLIII. Dictum Paulinum ROM. V, 13. secundum nobis ministrat argumentum. Loco citato Paulus dogma de peccato orig. ita proponit, ut tam propagationem illius factam per imputationem diu: quam per generationem naturalem a parentibus ad sobolem proponat. Illam praecipue indicat Paulus verbis ultimis,

mis, in quo omnes peccauerunt. Nostrae vero causae patrocina-
 tur praesertim propositio hanc antecedens: Vbi ergo Paulus
 describit; tam ipsum malum, quod propagatum est mortem ni-
 mirum, quae totalem in genere hominis corruptionem indicat
 §. IX. et qualem Adamus Euaque post patratum peccatum per-
 pessi sunt; tum fontem et radicem, ex qua transmissum est ad
 posteros, *Adamum*; tum terminum, ad quem transuectum fuit,
 qui est *mundus*, omnesque in genere homines, tum denique
 modum, *peruasi*; totam eorumdem naturam peruasit, ac pe-
 netrauit instar gladii Lvc. II, 35. et vti lues pestifera domos fur-
 tim irrepit atque inficit; ita Adamus, non morale solum, sed
 physicum quoque totius humanae gentis caput, labem suam no-
 bis adpersit. Et peccatum adeo hoc generatione naturali ad
 nos transmissum.

Minime ergo hac explicatione dogma illud de morali peccati Ada-
 matici posteris facta imputatione euertimus: vti merito et hunc locum
 explicuit auctor clarissimus Reu. disputationis de imputatione Peccati
 Adamitici sub praesidio v. s. v. *Praesidis* habitae. Sed vti hoc dogma
 cum nostro de propagatione per generat. arctissime cohaeret; ita et
 utramque hanc doctrinam coniunctim in dicto nostro allegato propo-
 sisse Paulum adfirmamus.

§. XLIV. Tertium nobis argumentum suppeditat aliud Pauli
 effatum *EPH. II, 3.* scriptum. Vbi Paulus de Iudaeis pariter ac
 gentilibus coniunctim loquens, omnes illos, hinc ad unum
 omnes homines, filios irae, id est, culpae poenaeque reos esse,
 pronunciat, et quidem *Φύσει*, natura. Haec vox optime de
 ipsa natiuitate intelligitur, vel, quod eodem redit, ipsa natu-
 ra, et quidem tali, qualis per transgressionem primorum pa-
 rentum facta, ab omnibus hominibus nascendo accipitur; vti
 et veteres hanc vocem iam interpretati sunt, quos inter *AVGUS-
 TINVS* contra *Pelagium* multis locis eminent: Et sane alius hic
 sensus obtinere non potest, quum in contextu *τῆ χάριτι* v. 8.
 opponatur, qua saluari dicimur. Idem ergo et hoc loco *τῆ Φύ-
 σει* est, ac a natiuitate; vel quod *DAVIDES* C. *LL, 7.* dicebat;
 ab utero materno filii irae sumus; ob peccata, in quibus na-
 scimur, vt adeo a recto aberrant, qui hanc vocem, *revera* red-
 dunt,

Argumentum
 tertium secur-
 di ordigis.

dunt, quum oppositio hic in contextu aliud nos doceat. Unde ex hoc quoque dicto colligimus: Quicumque a natiuitate filius irae Dei est, hinc peccato infectus, quum illa aliter locum non habeat, ille natus est cum peccato §. XXXVIII. atqui homines omnes filii irae sunt a natiuitate, Ergo omnes homines nascuntur cum peccato; hinc peccatum orig. per generationem ad ipsos propagatur.

Non obstat adhibitum a Paulo imperfectum, quin de peccato orig. dicatur, quum hoc imperfectum indicet tantum, Ephesius *χαριτι σεσωσμένοις* v. 3. non amplius adhaesisse reatum irae diuinae, quae quidem a persona peccato hoc infecta, remoueri potest per gratiam diu, quamuis non ab ipso hoc peccato securat.

Argumentum
quartum se-
cundi ordinis.

§. XLV. Vltimum denique huius ordinis §. XLI. argumentum desumimus ex C. LVIII, 4. Vbi, si propositio ab utero materno sensu rigorissimo sumitur, huc vsque explicato, inque aliis scripturae locis fundato, idem est, ac ab ipsa formatione, quum infans in utero formetur materno; praedicatum vero tunc, uti etiam non rarum est, non ipsum semper actum; sed procliuitatem atque inclinationem ad actum aliquem indicaret; ut ergo Dauides idem, quod de semet ipso Ps. LI, 7. §. XXXIX. XXX. pronunciauerat, adulterium commissum in ipsa iam formatione sua vitiosa rationem habuisse, de impiis quoque, de quibus sermo valet, impietatem nimirum eorum atque mendacia, in natiuitate eorum corrupta fundata, eosque ab inde ad eadem inclinasse, hinc innata ipsis esse, indicare videatur.

Referrī huc etiam potest dictum aliud Dauidis rs. XIV, 3. vbi praecipue vox usurpata *וְנִרְאָהוּ* naturalem tam corruptionem, quoad ipsa etiam verba indicare potest.

Demonstratio
plena huius
doctrinae a
priori dari non
potest.

§. XLVI. Et ita actualitatem et necessitatem eius modi propagationis Peccati orig. naturalis probasse putamus §. XXIII LXV. Restat altera promissi pars §. XXXIII. a nobis adhuc seruanda; possibilitatem nimirum eius, cuius actualitatem probauimus, propagationis P. O. indicabimus. Licet enim actualitas rei, vel facti cuiusdam probata, possibilitatem quoque eiusdem demonstret; hinc et merito de possibilitate huius propagationis a parentibus ad sobolem; quum actualitatem eius S.S. indubie euincat, nemo dubitare

tare

tare debeat. Attamen quum non aduersarii solum huius doctrinae sed alii etiam, quoties quidem hanc audiant thesin, dubium mouere soleant de eiusdem impossibilitate: non a re alienum esse videtur, si eandem breuius adstruamus. Quum tamen ipsa animae humanae, quae sedes huius peccati princeps, origo, dum nascimur, adeo huc vsque nos lateat, vt certi quid de eodem nihil adfirmare queamus, sed plena adhuc inter philosophos difficultatis quaestio maneat, quae tamen a nobis, vtpote theologica disputantibus, componi ac decidi non potest: ab illis quidem de possibilitate propagationis P. O. naturalis tam anxie sollicitis, iure nostro postulare possemus, vt ipsum animae humanae ortum modumque eius nobis demonstrarent certissime; quo quidem facto, nos ipsam peccati orig. propagationem per generationem, demonstraturos esse, sponderemus. Eo tamen interim de praesenti laborabimus, vt primo ex analogia, tum vero etiam, comparando hoc dogma cum tribus de origine animae hypothesibus eandem vindicemus.

§. XLVII. Non parum lucis haec doctrina ex observationibus quibusdam accipit, quarumdam animae inclinationum ad certa obiecta propagationem a parentibus ad liberos prodentibus. Nemini ignotum esse potest, inclinationes saepe peculiare a parentibus ad liberos, et ab his rursus ad suam sobolem transmitti, vt inde inclinationes quaedam, adpetitus, vel auersationes, certis familiis propriae non raro oriuntur, (quo tamen multum etiam facit status, quo parentes fuerunt, generantes:) Imo si vniuersas gentes consideramus, certam etiam quamdam animi indolem illis communem, sed propriam etiam esse, saepissime inuenimus: vnde huic genti fortitudinem, illi superbiam, aliis crudelitatem tribuere soleamus, quae neque a sola educatione atque imitatione, neque a terrae regione ita pendent, vt hae vnice harum propensionum rationes dici queant; quum in prima se etiam infantia exserant non raro; etsi in aliam regionem transferantur, ibique liberos procreent, hi tamen similes parentibus inueniantur. Et si in specie inclinationem ad vitia quaedam perpendimus, quae a parentibus non raro ad liberos transeunt, mira inde elucebit cum

Multae partem inclinationes ad liberos propagantur.

G

dog.

dogmate nostro similitudo, si praecipue tempus generationis, vel formationis in utero matris rursus respicias. Infantem etiam furto deditum nasci, et prima occasione aliis, quae sua non sunt, auferentem, si mater grauida, alieni cupidine ducta, furto dextram iniectare ausa sit, omnibus et lippis notum est et tonforibus. Adplicata haec ad Adamum Euaque, communes omnibus hominibus parentes. Tristissimo lapsu hi parentes ad modum corrupti ad omnia in genere prona erant peccata; imo ipsa natura sua ad eadem stimulabantur. Unde ergo miraris, ad omnia etiam peccata inclinationem ab his ad filios, et ab his rursus ad suam sobolem transmitti potuisse, et hos tam firmiter parentum premere vestigia?

Naeui naturales in corpore ita propagantur.

§. XLVIII. Idem, si corpus meditatur, naeuosque, quos haereditario quasi iure a parentibus saepe accipiunt liberi, sese obicit nobis argumentum. Non loquor hic tantum de illa corporis vitiosa conditione, quae quia in parentibus adest, ad liberos etiam transmittitur saepissime, quamuis et hoc propagationem P. O. in corpore humano adumbrare quodam modo posset: sed de iis potissimum naeuis in corpore infantum naturalibus, quae animae, meo iudicio, potissimum, et imaginationi parentis praesertim grauidae ortum debent. Exemplum hoc esto: Mater, crescente utero, manum flamma laedens, laeuandi doloris ergo, hanc manus partem collo admouet, illudque tangit. Excluditur infans, et eodem loco, quem tetigerat mater, macula adest, illae, quae ex aduersione ignis oritur, similis; qui quidem naeui naturales, uti et ex aliis clarum est exemplis, adeo cum natura eiusmodi infantis, ut ita loquar, commisceantur, ut sine summo vitae discrimine tolli nequeant. Quod quidem et huic similia facta sole clariora sunt meridiano, nonquam tamen a physicae cultoribus satis explicata, ut experientissimi potius medicorum filii ignorantiam suam hac in re lubentes fateantur. Confer haec cum macula illa naturali, peccato inquam orig. a parentibus nobis adpersa: ibi quidem factum ipsum itidem inuenies modumque quo fiat, ex sacra S., quamuis modum hunc explicare nequeas; cuius vero ex eiusmodi exemplis sufficienter

ter

ter refutatur impossibilitas. Adi hac de re experientissimi PROF. KRYGERI *physiologiam* §. 471. p. 778. notabile, nostro simile, proferentis exemplum.

§. XLIX. Et quid tandem instinctus quosdam naturales ad certas generi suo proprias mutationes, qui in ipsis adeo brutis ad posteros transeunt, commemorabimus? quibus inducti singula bruta in eiusmodi casibus non aliter agunt, quam prouti instinctibus eiusmodi, iisdem propriis, consentaneum est. Leo catulus et lupo non aliter excluduntur a matre leaena, et lupa, quam mox alia animalia dilaniando, ex raptu victuri; et, licet initio hi instinctus, dum viribus adhuc destituuntur, exferre sese actu nondum possint, his tamen crescentibus, leones luposque illos esse, experientia discas: et ita quoque vulpes, felis, canis, quid? quod omnia animalia peculiaribus suis instinctibus, quatenus sint, si etiam ex conditione corporis externa dignoscere eadem non posses, mox sese proditura sunt. Qui peculiare ipsis instinctus tantum abest, ut ex imitatione aliarum sui generis bestiarum, et conuersatione cum iisdem discantur ab illis, eoque experientia haec infringatur, ut potius haec ab aliis bestiis conuersatio instinctus ipsis, generique suo proprios magis confirmet. Cur enim cum aliis, non sui generis, animalibus simul et in communiue viuente, non degenerant? Cur non imitantur instinctus moresque aliorum? Et cur denique hunc morem atque instinctum suum tam firmiter tenent, licet ab omnibus sui generis animalibus, simul ac procreati sint, separati inter homines educantur, quum nihil adhuc a parentibus suis discere potuerunt, ut lupo lacerandi libidinem, nisi ab ipsa natura inditi ipsis essent hi instinctus, et ipsa natiuitate ad eosdem transmissi? Et quam egregie hinc de possibili propagatione peccati orig. per generationem a parentibus ad liberos possumus conuinci! Conf. v. s. r. PRAES. THEOLOGIAN MORALEM §. XLVIII. in nota et REINBECKII *meletemata in Aug. C. p. II. medit. XXV. §. IX. et XVII. et, si placet, ERASMI dialogum certe curiosum inscriptum de AMICITIA.*

Et in brutis
instinctus pec-
culiares ad
posteros suos
propagantur.

Comparatur
haec doctrina
cum hypoth.
propagat. ani-
mae per tra-
ducem.

§. L. Quemadmodum vero per ipsam experientiam ex indubiis obseruationibus magna huic doctrinae lux affunditur §. 47-49. ita et per conciliationem huius dogmatis cum tribus de origine animae humanae adsumtis hypothesibus vindicari eiusdem poterit possibilitas. Prima de origine animae hypothesis, quae quidem plurima a philosophis pariter ac theologis consequuta est suffragia, propagatio animarum est per traducem, id est, per vnitionem aliarum aliarumque semper animarum humanarum cum corpore humano per continuam parentum sobolisque successionem. Huius defensores in duas praecipue rursus abeunt sententias, quorum 1. alii animam cum corpore humano coniungendam, interueniente conceptionis actu simul oriri statuunt, et quidem vel ex parentibus, vt flammulam ex flammula, quae vero opinio primo intuitu corrumpitur; vel a parentibus, quibus vim dedit summum Numen, quae conueniente licet eiusdem vi creatrice, non nisi suae speciei aliqua indiuidua ex nihilo producere possint; alii vero 2. ortam et orientem demum animam in conceptionis actu negent; sed illam praesistentem iam statuunt, in arctissimo etiam cum animalculo, vt vocatur, spermatico commercio positam, cuius postea vis representatiua, quum in Adamo ita iam adfuerit EBR. VII, 5. per succedentes generationes sensum aucta fuit, donec eum perfectionis gradum acceperit, vt in maius podire queat spectaculum. Ex hac sententia optime thesis nostra explicari posse videtur; premitur tamen ea difficultate, vt incomprehensibilis fere eiusmodi animalculorum et paruitas statuenda sit et multitudo. Si tamen adsumitur; ita secundum illam concipienda est pecc. orig. propagatio. Parentes sunt causa efficiens liberorum per generationem; hinc liberi sunt effectus parentum, essentialiter ipsis subordinati per generationem, vt causis efficientibus. Effectus, essentialiter causae efficienti subordinatus, non est nobilior sua causa; ergo et liberi non maiori gaudent dignitate et perfectione, quam parentes. Liberi in specie, siue priorem sententiam adsumas, siue posteriorem, animam accipiunt a parentibus, quorum vires §. 14-17. 21. si et ad Adamum vsque ascendas, totaque natura corruptae sunt, hinc nec melio-

meliozem accipere potuerunt, quam quae fuit in parentibus, id est, peccato infectam; quum hi non aliter agere possint, quam naturae suae conuenienter. Conf. *Exper. KRÜGERI physiolog. §. 468. p. 775. de animal spermat.*

Haec sententia optime etiam adplicari posse videtur ad Christum feruatorem, quum animam hac ratione a patre in specie descendere, statuedum esset. Adeo praeterea se commendauit haec hypothesi de traduce veteribus iam ecclesiae doctoribus, vt IO. BENED. CARPZOVIVS in *Isagoge in libros symbolicos ad artic. II. apologiae A. C. p. m. 150.* adfirmauerit, ab illis, qui hanc non defendant hypothesin, ostendi non posse hanc peccati orig. per generationem propagationem naturalem; cuius mentem plenius hac de re perspicere poteris in notis ad FOMVL. CONCORDIAE *Scēt. VI. art. I. p. m. 1175.*

§. LI. Quae creationem singularum animarum recentem statuit, seu, quae oriente, aut orto demum corpore, illam ex nihilo oriri, altera de origine animae hypothesi est. Sententiae huius defensores ad Deum confugiunt, qui hodie adhuc cum corpore creet animas, et ideo *creatiani* vocantur, cui, vt cum LACTANTIO loquar, ferendarum animarum sola subiacet ratio. Secundum hanc opinionem, si ad thesin nostram eandem adplicemus, parentes corpus procreant generatione, ita tamen, quod per se clarum est, vt naturae eorundem corruptae conueniens est; id est, corpus, motibus inordinatis ac peruerfis praeditum, parentibus simile, totumque corruptum. Anima, in arctissimum cum hoc corpore commercium ventura, a Deo creatur, sed talis, quae huic corpori consentanea est, et idonea, quae in impurum eiusmodi domicilium immittatur; quum per harmoniam operum diuinorum alia eiusmodi corpori conuenientior non est, quam cuius mutationes corporis respondeant mutationibus; quod quidem factum per imputationem peccati Adamitici diuinis minime contradicit perfectionibus. Et ita secundum hanc quoque hypothesin, ratio propagationis pecc. orig. reuera in generatione corrupta quaerenda est. Conf. FRIEDR. ADOLPH. LAMPII *commentar. in Ioann. Tom. I. in Cap. III, 6. p. 571.*

Et cum hypothesi de creatione recenti.

Et cum hypo-
thesi de crea-
tione simulta-
nea.

§. LII. Quitem de origine an. hypothesin defendunt; a-
nimas cum corpore humano postea coniungendas, ante corpus or-
tum praexistisse affirmant; illasque semel atque omnes vna a
Deo, primo creationis die creatas esse; ex quibus semper aliqua,
ante hanc cum corpore coniunctionem, et priusquam in hoc mun-
di theatrum prodiret, mere confusis occupata repraesentationibus,
summo Numine interueniente, cum corpore, orto per generatio-
nem, coniungatur, quae proinde sententia hypoth. de ortu anima-
rum per creationem simultaneam vocatur. Hac adprobata hypo-
thesi, parentes quidem vti §. LI. a creatione animarum exclu-
duntur; continent tamen pariter rationem existentis corporis,
quod vero non aliter oriri potest, quam intime vti corpus paren-
tum corruptum §. 21. 50. quumque in eleuatione confusarum,
quibus antea occupata fuit, in claras, certarum repraesentationum
adductio adesse debeat, nos vero, mediante corpore nobis repre-
sentemus; facile diiudicari potest, neque hanc hypothesin doctri-
nae nostrae de naturali contradicere peccati propagatione.

A quibus haec
doctrina im-
pugnetur?

§. LIII. Et ita hanc quoque dissertationis partem, qua a
§. 47-52. dogma nostrum impossibile nihil continere probauimus,
absolutam esse putamus, et patere inde contradictionem nullam
nostrum dogma cum aliis veritatibus continere, hinc possibile esse:
et quum praeterea et actualitatem eius e sacra scriptura demonstra-
uerimus; tota haec propagationis pecc. orig. per generat. ad finem
perducta est demonstratio. Non intacta relicta est haec doctrina,
ab inimicis aduersariorum oppugnationibus: quos inter olim *Pe-
lagiani*, nunc vero *Sociniani* excellent. Contra quos confer. HOL-
LAZ. in *examine theol.* p. 380. 381. et SCHERZERVM in *Colleg. anti-
sociniano dissert. XXX. seqq. p. 300. seqq.* disputantes.

SECTIO IV.

DE GRADIBVS PECCATI ORIGINALIS.

Transitus ad
sequentem
tractat.

§. LIV. Ad nouam igitur dissertationis partem nos conferi-
mus, qua graduum pecc. orig. dimensionem indicabimus: quae
quidem

quidem opera nostra nemini superflua videbitur, qui cogitaue-
rit, quanta in statuendis pecc. orig. gradibus opus sit circumspecti-
one, ne gradus pecc. orig. adsumentes, huius corruptionis essenti-
am immutemus. Non aliter comparatum enim est hoc dogma,
atque illud de fide saluifica: vti enim in hac gradus a se distin-
guendi sunt, licet essentialia eadem tam in fortiore, quam infirmio-
re maneant, ita et in doctrina de pecc. orig. Essentialia, quae in an-
tecedentibus exhibuimus, manent in omnibus hominibus eadem,
in accessoriis tamen aliqua adhuc adest graduum differentia.

§. LV. *Quantitas qualitatis nobis gradus est.* Quum quan- Pecc. orig. ad-
titas distincte intelligi non possit sine adsumto tertio, gradum mittit gradus.
quoque sine adsumto alio tertio distincte concipi non posse,
hinc conceptum relatiuum esse, et maiorem denique vel mino-
rem esse posse, quilibet fatebitur. Omnis qualitatis determinari
potest quantitas, vel maior, vel minor; hinc et gradus; hinc
et peccatum et in specie orig. utpote qualitas hominibus inhae-
rens, gradus admittit.

§. LVI. Magnum in genere graduum huius labis ob- Gradus pecc.
seruandum est discrimen; pro diuersa operationis eiusdem in orig. respectu
homine, praesertim irrogenito, ratione ac ordine. Vel enim operationis in
stimulatur tantum homo ab illo, et ut esca quasi proposita, eodem subie-
quali aues trahi in rete solent, allicitur, ad implenda huius cto.
Vel adprobationem hominis haec concupiscentia, et superio-
rum praesertim facultatum adsequitur, et ita cum iisdem im-
pure quasi miscetur, quod alter gradus est. Vel eo adigit ho-
minem, ut de peccato hoc, ad quod stimulatur, perficiendo
deliberet, occasionemque illud patrandi, quaerat, quod ter-
tius gradus est. Vel denique ipse partus, peccatum scilicet
actuale in anima formatum, prorumpit atque enascitur; quod
vltimum gradum efficit. Quatuor hos gradus; vti et sese exci-
piunt, proponit nobis IACOBUS ep. Cap. I, 14, 15.

§. LVII.

Duplex alia
graduum pecc.
orig. diuersi-
tas.

§. LVII. Duplex praeterea statui debet graduum peccati originalis ad hominem relati, diuersitas. *Prima*, quae in vitae decursu in hominibus obseruatur, *altera*, quae ab ipsa inter homines origine iam adest. Secundum priorem distinctionis partem duplex rursus status oritur; *dominantis* nimirum huius peccati, et *mortificati*.

Status pecc.
orig. domi-
nantis.

§. LVIII. *Primus* hominis status ille est, vbi omnes hominis actiones determinat, seu internum actionum hominis principium manet, haec natua corruptio; qui proinde, termino quidem improprio, in sacra tamen scriptura, vna cum ipso conceptu, cum eodem coniungendo, ROM. VI, 12. 14. fundato, status *dominantis* huius peccati vocatur. Huic dominio subsunt, quamuis diuersis rursus gradibus, omnes homines, vti a natura compositi sunt, nondum regenerati; ex diurnitate tamen temporis, quo in eodem mansit, homo, noua rursus hic status et maiora capit incrementa; quum ex reiteratione frequenti aequalium actionum habitus, vel minor, vel maior, oriatur.

Status securi-
tatis.

§. LIX. Hic status *dominantis* peccati duplex iterum est: duplici enim ratione dominio huic crudeli subiectus esse potest miserimus mortalis: *alter* est *securitatis*; *seruitutis* *alter* est. Primum vocamus illum statum, vbi ob defectum viae legum diuinarum cognit. sine impedimento hoc peccatum ad omnia facinorum genera ruit: cum persuasione vt plurimum liciti ac honesti. Ignorantia ergo legum diuinarum nota est, qua hic status a sequenti distinguitur, licet aliqua quarumdam legum adesse possit cognitio. Si enim omnimoda ac plenaria omnium legum diuinarum ad hunc statum efficiendum necessaria esset, de nemine certe Christiano homine possit praedicari. Oriuntur ex hac insufficienti legum diuinarum, ordinisque salutis cognitione variae hominum vanae imaginationes, vel de plenaria legum diuinarum impletionem, quum tamen non perfecta earundem adsit cognitio: vel, si haec agnouerit, de misericordia diuina ad omnes peccatores extensa; omniaque peccata.

cata excusante: I PETR. II, 16. Vel de satisfactione denique in genere, ac merito Christi, quod sine ratione ac ordine obferuato, & falso proinde, proprium sibi faciunt. Et quis inde miratur, sine vilo impedimento, atque anxietate conscientiae concomitantis & consequentis, actuosissimum hoc peccatum ad omnia grassari facinora, prout facultas adest, & occasio homini tali obicitur? Hic securitatis status rursus diuerso modo considerari potest, pro diuerso, quo adest, in diuersis subiectis gradu. In quibusdam haec securitas adest occultior; in aliis vero, teste experientia, aperta deprehenditur.

§. LX. Qui in occultiori securitatis statu constituti sunt, ad omnia quidem prouisi sunt atque parati, ad quae a peccato hoc inhabitante stimulantur: omnia proinde ea adprobant, ad quae inordinato ac prauo adfectu & concupiscentia ducuntur; fugiunt tamen vitantque, vt speciem honestatis retineant, periculaque euitent, peccata grauiora, & ipsam boni hominis speciem adsumunt, quamdiu timeat alios, & deterrere ipsos a malo possunt aliorum hominum iudicia; & sub ore pio mendax adeo animus latitat. Contra vero, quod maiorem huius securitatis adhuc gradum constituit, in statu securitatis apertae & proteruae omnia ea cogitant & dicunt homines, quae effecta iam in animo latuerant, & ad quae concupiscentia inordinata amorque sui ac rerum aliarum impellere eosdem modo poterit GAL. V, 19.; vnde ad quaeuis opera carnis perpetranda prouisi sunt, sine vilo vel Dei, vel aliorum etiam, qui eosdem abstertere possent ab eiusmodi facinoribus, timore.

§. LXI. Statum alterum seruitutis strictae sic dictae, ad dominium peccati etiam pertinentem, illum vocamus, vbi homo viua legum diuinarum quidem cognitione pollens, sensu tamen virium propriarum, peccati huius stimulis resistendi, haud sufficientium, & ingentis inde periculi extimescendi, excruciat, timore perfunditur ingenti & misere angitur. Duplici ergo homo in statu hoc, quamuis in suam ipsius perniciem, gaudet cognitione, viua nimirum ac plenaria legum diuinarum, quibus actiones eius attemperandae essent, inspectione;

In specie vel occultior, vel apertior.

Status seruitutis.

& actualis earundem transgressionis, & poenarum adeo diuinarum sibi infligendarum, noticia. Quum vero ipse hanc suam imbecillitatem, peccatis resistendi, hinc & periculum inde oriundum, sentiat: eoque in hisce suis cruciatibus prolabitur, vt odio aduersus sanctissimum Numen inflammatus, iniustitiae odii-que in genus mortale Deum O. M. accuset, quippe qui eiusmodi leges tulerit, nihil aliud, quam certissimum hominis interitum minantes ROM. VII, 5-9. VI, 14. VIII, 15. Oritur in hac cognitione, post vanam, & successu destitutam operam, opem sibi ipse ferendi, grauis dolor & acerba anxietas cum persuasione impossibilis ab hoc malo liberationis, & ipsa quoque desperatio auxilium sibi adhuc esse superstes; vnde denique, si praesertim diu in his cruciatibus permanferit homo, effraenata ad omnia facinora libido nascitur. En itaque ingentem peccati huius dominantis gradum, & ortus illius successiorem. Maior ea adhuc euadit, quo maiori & clariori eiusmodi hominum legum diuinarum gaudet notione.

Status securitatis §. LIX. LX. nomine quidem seruitutis pariter insigniri possent, dum in vtroque dominium adit peccati. Quum vero hoc dominium in statu securitatis non sentiat, & miseri homines ita decipiantur; 2 PETR. II, 9. hoc nomen sensu strictiori huic alteri tantum statui imponitur.

Status mortificati P. O.

§. LXII. Secundus hominis status, respectu P. O. ad eum relati, §. LVIII. est status infracti, vel mortificati huius Peccati §. LVII. Vti ergo ille, dominantis scilicet Peccati, dominium eiusdem in hominem inferebat: ita hic in eo consistit, si per regenerationem ac iustificationem dominium illius una cum reatu tollitur §. XLIV. ita tamen vt ipsa haec corruptio prauaque concupiscentia in iisdem remaneat §. LVI. (nota). Inchoatur haec P. O. sublatio in ipsa conuersione, vtpote per quam in regeneratione productum diuinitus nouum habitum mutationum legitimarum connatus iisdem habitus prauus suffocatur atque infringitur; siquidem oppositi sibi habitus semet tollunt & infirmant, & tollitur deinde per Iustificationem totus huius peccati reatus, & poena. Quum tamen ipsa haec corruptio in regentis etiam & iustificatis remaneat, neque plene extirpetur, multis etiam tenta-

tentationibus hominem regentem hoc peccatum ex cruciat; & per multa etiam peccata actualia in eodem producit, quamvis non proaereticam, quae tamen ob subsequentem poenitentiam, quotidianamque sanctificationem ut moraliter infecta in iudicio diuino considerantur. Quumque haec ipsa sanctificatio diuersos rursus admittat gradus pro diuersa eiusdem progressionem, pro diuerso tempore, huic studio insumto, & pro diuersa fidelitate, bene has operationes diuinas collocante: ita & ex eadem diuersitate diuersi residui peccati origines gradus enascuntur. Et uti denique imminui sanctificatio potest: ita & gradus residui peccati diuersis subiecti sunt vicissitudinibus, & mox auferri possunt, mox comminui.

§. LXIII. Superest adhuc altera graduum P. O. diuersitas §. LVII. quae ab ipsa hominibus iam inest origine. Manent quidem essentialia, quae in singulis naturaliter procreatis eadem sunt, huius corruptionis momenta §. LIV. §. VI. Locum tamen etiam habent accessoria quaedam, quae diuersa sunt in diuersis subiectis. Praeterquam enim, quod ipsa naturae suae conditione ad certum dominantis P. O. statum homines saepe magis inclinent, quam ad alterum, quum alii ad statum seruitutis maxime proni sint, alii contra ad illum, quem vocamus securitatis: obseruamus adhuc in quibusdam hominibus prauas quasdam inclinationes propensionesque, per instinctus ad quaedam vitiorum genera maiores determinatas, quae quidem inclinationes peculiare prauae non consuetudine ab ipsis addiscuntur, quum, si haec statuere vellemus, concedendum esset, nunquam hos instinctus se proderent, quam adquisito intellectus ac rationis vsu, cuius tamen contrarium euincit experientia. Quem fugit, certis hominibus furandi, aliis scortandi, imo & aliis saepe mentendi, aliosque ita decipiendi, adeo insitam a prima infantia esse libidinem, ut & secundum communem loquendi vsum innata ipsis esse prae aliis dicamus? Si concedimus, haec specialiora vitiorum genera atrocitate sua prae aliis eminere, gradus etiam peccati huius conati, qui ab ipsa hominibus insunt origine, concedere tenemur.

Gradus P. O. qui simul nascuntur cum homine.

60 *Dissertatio de Propag. & gradibus peccati origin.*

Nemo ideo hos ab ipsa natiuitate quibusdam hominibus inritos P. O. gradus neget maiores, quod iisdem positis, alii homines peiores nascerentur aliis; & ita sapientiae diuinae haec doctrina contrarietur; quum nos, qui consilia rationesque summi Numinis plene introspicere nunquam possumus, ex analogia regni naturae hanc contradictionem soluere facile queamus. Quam multi mortalium nascuntur cum insignibus in corpore suo vitiiis! Quam multis per integrum vitae terminum, non satis admiranda huius vniuersi spectacula, lumenque illud splendidum oculis suis hauriendi denegata est facultas! insigni nimirum oculorum beneficio priuatis. Et quanta denique quibusdam hominibus connata est stupiditas, & quam insigni mentis non pauci homines morbo calent, vt speciem duntaxat hominis possidere illos diceres! Haec certe vitia, quum insignia ipsis conferant detrimenta, aliisque hominibus ab ipsa natiuitate imperfectiores eosdem reddat, imo & ipsam Dei cognitionem, praecipue vltimum, haud raro impediunt; eadem ratione quaerere possemus, cur imposita sint huic, vel illi homini? si omnia summi Numinis perferuari vellemus, consilia, quae de gradibus maioribus P. O. connatis iare id fieri potest; 10. IX, 2. 3. Sufficit, nemini mortalium ideo, quod maiorem quibusdam connatae huius corruptionis gradum tribuamus, quam aliis, ideo denegatam esse ac impossibilem reddi ad Deum conuersionem, & a dominio huius peccati liberationem, quae in statu tantum indurationis impossibilis est. Quumque praeterea eiusmodi homines, maiorem quippe contra innatum hoc peccatum pugnandi, nacli occasionem, maius etiam a Deo die illo remunerationis praemium exspectare possint, si gratia Christi adqulita recte vsu, a peccati huius dominio sese liberauerint, luctae nimirum huic contra carnem proportionali: non video, cur adeo de misera horum hominum, si ex omni eosdem parte confideres, conqueramur conditione.

Epilogus.

§. LXIV. Plura non addimus; sed stadium, quod praescriptum nobis erat, emensi, vela dissertationis nostrae contrahimus Sufficere videntur, quae de propagatione huius Peccati orig. naturali & gradibus eiusdem in medium protulimus; quum a controuersiarum in hac materia ortarum dilucidatione sedulo abstinere voluerimus. Nouimus quidem quod ad perfectam propagationis peccati orig. cognitionem cognitio quoque propagationis eiusdem moralis requiratur: interim non necessarium esse, vt ambae simul in vno volumine explicentur, vnusquisque, me etiam non exigente, concedet.

AESTV.

AESTVMATISSIMO
RESPONDENTI

SAL. PLVR. DIC.

PRAESES.

Eorum, quae in litteris ad fratrem TVVM datis de communibus per omnia rebus studiisque VESTRIS meaque in VOS voluntate scripti, nihil hic repetam quidquam; quum ad TE aequae pertinentiam quam ad fratrem, quo aetate duntaxat inferior fuisti: sed de vtriusque disputatione sententiam dicam, meique iudicii testimonium dabo, quod fidei deo, in quam concessistis atque has operas VESTRAS tradidistis. Argumenta dissertationum ipsimet elegistis, non tamen sine consulto meo, VESTRAEque optione ex indice argumentorum commode disputandorum a me edito haec VOBIS designastis, quae ibi locum XXXXIII. et XXXXIII. atque LXI et LXII occupant. Neuter enim vnus argumenti seorsim a me propositi limitibus indulgiam circumscribendam existinauit, sed longius VOBIS stadium decurrendum sumistis in pertractando simul argumento, quod proximo loco comparebat, reiueque natura cum praegresso arctissime cohaerere videbatur. Quamobrem factum est, vt frater, licet potissimum *discrimen reuelationis et inspirationis* disputet, obiter tamen *vindicis inspirationis librorum diuinorum* scribendis perfungatur: TV vero non solum *de propagatione peccati originalis* verum etiam *de gradibus huius peccati*, quod satis est, edisseras ea copia, quae duabus disputationibus academicis sufficeret. Praestantia et dignitas horum argumentorum cuius lectori rerum sacrarum gnaro haud difficulter approbabitur. Pauca tamen memorabo, vt euidentius appareat, cur illa disputanda olim proposuerim, et iam a VOBIS pertractari gaudeam. Doctrinam a fratre disputatam destinaui potissimum et confirmandae disputationi meae tertiae *de dictis scripturae sacrae probantibus*, et conuolendis feliciter recentiorum plerorumque hostium libris diuinitus scriptis infensorum obiectionibus, quorum callidissimus quisque in confundenda reuelatione strictius sumta cum inspiratione insignis causae desperatae praefidium quaerit, quod inprimis a THOM. CHVBVIO factum est, tam in *an enquiry concerning the books of the new testament, whether they were written by diuine inspiration*, quam in *the true gospel of Jesus Christ* librique perniciosissimi defensione *the true gospel of Jesh. Chr. vindicated*. TVAE disputationis argumentum vtrumque opponendum esse duxi nouaturientibus nonnullis ingenis, qui ad peccati originalis reatum eleuandum varia committuntur, quibus vel implicatiorem difficultatibus illius propagationem esse,

quam

quam ut extricari aut intelligi possit, vel morbum potius quam peccatum constituere huius mali quidquid demum fuerit, efficere satagunt. A quo errore parum abest sententia de corpore sede huius peccati proxima et principe, ad quam recentissime, quod tunc providere non poteram, scriptor satis elegans nouis aut instauratis potius coloribus ornandam annisus est, quibus simul obuiam iuisti. In conscribendis his disputationibus ita versati estis ambo, ut, si a primis consiliis ad stamina telae pertexendae ducta discessero, meas in illis partes omnino nullas fuisse ingenue fatear. Quod voluntatis aequae fuit, ut VOBIS relinqueretur integrum, in quo laudabile virum periculum fecistis progressuumque documentum dedistis; quam necessitatis, quum eo tempore, quo scripta a VOBIS mihi tradebantur, adeo obrutus et circumseptus laboribus tenerer, ut vix susceperim ad ea accuratius ante perlegenda quam librario committerentur, de accessionibus autem ne cogitauerim quidem. Quarum tamen vnam saltem alteramue hic adiciam, ut selectas a me esse probatasque dissertationes apud VOS aliosque certius constet, sed quales homini negotiosissimo in mentem venire solent. In fratris disputatione exeunte ad locum *paulinum* ex I COR. VII. obseruatu dignum videtur, tum aperte a PAVLO excitari MATTHAEI euangelium, ubi verba CHRISTI leguntur, ad quae prouocat, quod praeter locum PETRINVM II. Ep. III. com. XV. vnicum euidentis plane et indubium exemplum est noui testamenti in eodem allegati, eorumque officias dispellit, qui recentissime MATTHAEI euangelio antiquitatem et diuinitatem abiudicatum iuerunt; tum etiam eximium ibi testimonium perhiberi de inspiratione horum sermonum CHRISTI ab audire ipsius in litteras relatorum, ad quorum notitiam reuelatione plane opus non fuit. Ad TVAM disputationem luculentum locum indicabo veni, CHRIST. EBERH. WEISMANNI, qui serius mihi aliud agentis in manus incidit, quam ut eius TIBI copiam citius facere potuerim: agit is in *institutionibus theologiae exegetico-dogmaticis* loc. VII. p. CCCXXV. et seq. de gradibus peccati originalis, qui in prima eius apud singulos origine deprehenduntur, atque doctrinam *peccatum originis in se aequale per proximos parentes auctum inaequali gradu propagari*, ita confirmat et illustrat, ut cum TVIS cogitatis conferri mereatur. De publico consuetu nihil vaticinabor, licet confidenter sperem neutiquam a me expectatum iri, ut securam VOBIS praestem defensionem: neque prolixiores reddam has litteras, quibus finem imponam, si iterum TIBI fratricue vitam academicam feliciter actam et honorifice finitam gratulatus, DEVMque O. M. cui haec beneficia debetis, per reliquos vitae actus praesentissimum providentissimumque comprecatus fuero. Dedi Halae ad Salam in acad. Frideric.

d. XVII. Apr. clō 15 cc XXXV.







Th 135

ULB Halle

3


004 917 227



m. c.







26.
8 26.

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
PROPAGATIONE ET GRADIBVS
PECCATI ORIGINALIS

QVAM
PRAESIDE
VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN
S. S. THEOL. DOCT. ET PROFESS. PVBL. ORDIN,
NEC NON SEMINARIJ THEOLOG. DIRECTORE
PATRONO AC PRAECEPTORE PIE COLENDO
D. XXIII. APRILIS A. G. MDCCXXXV.
H. L. Q. C.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IOANNES FRIDERICVS LITZMANN
NEO-RVPPINENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE, 1743.
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.